

PHARMACOPOEA

AUSTRIACA.

EDITIO SEPTIMA.



VIENNÆ.
CÆS. REG. AULÆ ET IMPERII TYPOGRAPHIA.

1889.

23813



M15740

Corrigenda.

In subsequentibus articulis emendanda veniunt.

Antipyrinum pag. 27 corrige: Oxy*dy*methyl... in Oxy*di*methyl.

Calcium oxysulfuratum pag. 48 corrige: gramma*tibus* in gram*mis*.

Chi inum sulfuricum pag. 59 in linea penultima emenda: prae*beeat* in prae*beat*.

Cortex Quercus pag. 72 versus finem in linea sexta emenda: *mae*sophloeo in *me*sophloeo.

Cuprum sulfuricum pag. 74 in linea quinta versus finem lege: caer*ulei* loco caer*luei*.

Emplastrum adhaesivum pag. 78 in linea penultima corrige: duo*bos* in duo*bus*.

Emplastrum Anglicanum pag. 79 in linea quinta corrige duo*bis* in duo*bus* et versus finem in linea quarta corrige Tinctu*ra* in Tinctu*rae*.

Emplastrum Hydrargyri pag. 82 corrige: gramma*tibus* in gram*mis*.

Extracta pag. 87 in linea decima quinta emendetur: aethe*ra* in aethe*rea*.

Ferrum lacticum pag. 103 in linea ultima corrige: lu*ci* in lu*ce*.

Ferrum sesquichloratum pag. 106 in linea sexta versus finem corrige: chlora*ti* in chlori*ci*.

Folia Coca pag. 115 corrige: Erythroxy*lla*ceae in Erythroxy*la*ceae.

Glandulae Lupuli pag. 134 in linea nona versus finem corrige: *quo*rum in *qua*rum.

Herba Millefolii pag. 143 in linea quinta corrige: laci*nis* in laci*niis*.

Hydrargyrum jodatum flavum pag. 151 in linea tertia versus finem linea vocabulo „*spiritu*" adponatur „*vini*".

Oleum Cinnamomi pag. 193 in ultima linea corrige: balsami*co* in balsami*ca*.

Radix Senegae pag. 232 corrige: Sene*geae* in Sene*gae*.

Serum lactis pag. 247 in ultima linea corrige: omit*te*tur in omit*ta*tur.

Spiritus pag. 251 in ultima linea corrige: medicami*nium* in medicami*num*.

Succus Liquiritiae pag. 260 in linea octava corrige: calo*rem* in calo*re*.

Solutio Kalii hypermanganici volumetrica pag. 299 corrige: formulam K_2MnO_4 in $KMnO_4$.

Pag. 317 corrigatur numerus 1888 in 1889.

Pag. 340 formula ferri sesquichlorati $FeCl_6$ corrigatur in Fe_2Cl_6.

Pag. 341 pertinet pondus moleculare 155.66 Morphino hydrochlorico adpositum ad praecedens Mentholum.

Formula Na_2SO_5 in sexta versus finem linea corrigatur in Na_2SO_4.

Pag. 359 corrige: Ta*cl*um in Ta*lc*um.

Pag. 379. Ante synonimum: Sulfas Cupri crystallisatus, inseratur: Sulfas Atropinae. 39. Atropinum sulfuricum.

Verordnung des k. k. Ministeriums des Innern

vom 1. Juli 1889, Z. 10.134,

giltig für alle im Reichsrathe vertretenen Königreiche und Länder,

betreffend die siebente Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe.

Aus Anlass des Erscheinens einer neuen Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe unter dem Titel: „Pharmacopoea Austriaca. Editio septima. Viennae. C. R. Aulae et Imperii Typographia. 1889“ wird verordnet:

Vom 1. Jänner 1890 an ist nach den Vorschriften dieser neuen Pharmakopöe in allen öffentlichen und Haus-Apotheken zu dispensiren.

Sämmtliche Apotheker haben daher die erforderlichen Vorbereitungen zu treffen und sich mit einem Exemplare dieser neuen Ausgabe der Pharmakopöe zu versehen.

Desgleichen muss in jeder Hausapotheke eines Arztes oder Wundarztes ein Exemplar der Pharmakopöe vorhanden sein.

Alle Sanitätsbeamten, die Praxis ausübenden Aerzte, Wundärzte und Thierärzte sowie die Apotheker haben sich mit dem Inhalte derselben genau bekannt zu machen und sich darnach zu benehmen.

Diese Anordnung ist von den politischen Behörden in geeigneter Weise noch besonders zur Kenntniss des ärztlichen Personales und der Apotheker zu bringen.

Taaffe m. p.

Normae et regulae generales.

§. 1.

Medicamina in pharmacopoeam recepta in omnibus pharmacopoliis ea indole praesto esse et dispensari debent, qua normis in pharmacopoea expositis penitus respondent.

Imperii gubernacula in regnis atque provinciis Tenentibus delatum est, ratione habita restrictioris in pharmacopoliis ruralibus commercii, ex elencho pharmacopoeae indicem medicaminum ibi usitatiorum componere, quae in ejusmodi pharmacopoliis omni tempore praesto esse debent.

§. 2.

Praeparata, quorum formula parandi in pharmacopoea exposita est, nonnisi secundum hanc formulam parare ac dispensare licet.

§. 3.

Medicamina, quae in pharmacopoeam non sunt recepta attamen passim a medicis praescribi et hinc in pharmacopoliis praesto esse solent, optimae indolis nec

inquinata nec corrupta sint oportet. Ea aequali sollicitudine et circumspectione servanda et dispensanda sunt ut medicamina in pharmacopoeam recepta, quorum efficaciam aequant.

Ejusmodi medicamina nec non confectiones, quae novissimis temporibus usui therapeutico venales offeruntur, incertae virtutis ac clinica experientia haud comprobatae sunt, nonnisi legitimi medici praescriptione dispensare fas est.

§. 4.

Medicamina in pharmacopoeam recepta, quorum dispensatio absque medici legitimi praescriptione inhibita est, tabula IV exhibet.

Haec medicamina hucusque signo † notata in textu pharmacopoeae distinctis *obliquis* typis conspicua redduntur.

§. 5.

Medicamina in tabula III congesta si a medico majori dosi praescribuntur, quam quae maxima in hac tabula notata est, non sunt dispensanda, nisi medicus signum exclamationis (!) in praescriptione addiderit.

§. 6.

Si medicamentum, quod et crudum et depuratum seu rectificatum in pharmacopoliis prostat, medicus praescripserit nulla distinctione facta, semper depuratum seu rectificatum dispensetur.

Item si medicamentum, cujus plures distinguuntur concentrationis et fortitudinis gradus, praescriptum fuerit, quin gradus concentrationis conspicuus sit, semper dilutum et mitius dispensandum est.

§. 7.

Medicamina, quae in serinio secluso tenenda et ea quae ab aliis separanda sunt, in tabula I et II enumerantur.

§. 8.

Adparatus reagentium omni tempore totus integer usui praesto sit.

§. 9.

Ad temperaturae gradus determinandos thermometrum sic dictum Celsianum adhibeatur.

§. 10.

Pondera specifica in pharmacopoea notata sub temperatura 15° explorentur.*)

§. 11.

Ne medico operi chirurgico in auxilium vocato, ad vulnera methodo antiseptica tractanda, subsidia desint, in pharmacopoliis venalia habeantur:

Chordae carbolisatae.

Fasciae e calicot confectae.

Filum sericeum maceratione in cera alba liquefacta, partem decimam acidi carbolici continente, paratum.

---

*) Pondus specificum corporum quorumdam fluidorum temperatura uno gradu variante adeo fluctuat ut jam in tertio decimali numero differentia exstet. Pondus spec. Chloroformii calore 15° aequale 1.487 sub temperatura 12° est 1.492 et calore 20°=1.477 Aetheris pondus spec. calore 15°=0.726, calore 12°=0.728 et 20°=0.721, acidi sulfurici conc. pondus spec. calore 15°=1.838 calore 12°=1.831 et 20°=1.833 observatur. Fluctuationes ponderis spec. Spiritus vini conc. et diluti in tabula 1a appendicis notatae sunt.

Fluctuationes ponderis specifici minores exhibent acida aqua diluta, solutiones salium, Ammonia.

Gaze (Mull) carbolisatum.
Gaze jodoformio impraegnatum.
Gaze sic dictum hydrophilum.
Gossypium Brunsii.
Guttapercha lamellata.
Tela Battistae Billrothii.
Tubuli (Drains) praeparati carbolisati.

§. 12.

Quum multa hujus pharmacopoeae praeparata ab iisdem prioris editionis valde sese differant, medicorum praxim exercentium officium erit singulare, animum ad medicamina convertere, quorum fortitudo vel compositio mutata est. Notatu digniores differentiae in praefatione commemorantur.

Praefatio.

Pharmacopoeae Austriacae editio sexta, quae hucusque publica lege sancita autoritate valet, anno MDCCCLXIX typis impressa, omnibus exemplaribus divenditis, vergentibus annis iteratis vicibus typis exscribi atque additamentis augeri oportuit.

Accedente necessitate denuo hujus editionis exemplaria multiplicare hac de re Consilium pro negotiis sanitatis supremum, quod C. R. rerum internarum Ministerio adjunctum est, sententiam rogatus censuit, rei melius consultum iri, si codex medicamentarius novae revisioni subjiceretur et emendata nec non, quos interim tempus tulit, progressibus disciplinarum, e quibus apparatus medicaminum sua adminicula repetit, aucta editio conscriberetur.

C. R. Ministerium, cui suprema valetudinis publicae cura delata est, voto hoc fultum, ordinavit novam pharmacopoeam, quae desideriis artis medicae nunc vigentibus aeque ac scientiarum naturalium progressibus satisfacit, esse conscribendam.

Hunc in finem Collegium speciale, constitutum e consiliariis in negotiis sanitatis prae caeteris disciplinarum ad rem spectantium gnaris, et ex pharmacopolis e gremio pharmaceutico Vindobonensi delectis, mandatum tulit omnibus prospicere, quae in exaranda nova pharmacopoea animadvertenda sunt et, ut labor prospere succederet, simulque apta ad rem concinnitas judiciorum assequeretur, principia et rationes labori suggestae in commentario exponere, quae ulteriori deliberationi quasi fundamentum inservire possint.

Collegium speciale desideratum commentarium una cum elenchis medicaminum, quae in novam pharmacopoeam recipienda et quae omittenda essent, composuit, quod a Consilio negotiorum sanitatis supremo comprobatum a C. R. Ministerio imperii gubernacula in regnis ac provinciis Tenentibus transmissum fuit, ut consi-

liarii, quibus in provinciis rei medicinalis cura delata est, aliique artis medicae et pharmaceuticae consulti sententiam darent, utrum dispositiones in elenchis initae desideriis medicinae ac indigentiis commercii in officinis pharmaceuticis illic obviis sufficiant, an qua ratione ipsi codicem medicamentarium exaratum esse velint.

Demum et nosocomiorum Vindobonensium Collegia medicorum primariorum nec non Professores, qui diversis clinicis praesunt, rogati fuerunt, ut indicarent, quae medicamina in elenchum recipienda, quae omittenda essent et quas praesciptiones atque formulas editionis sextae emendandas censerent.

Relationes et sententias ad hanc rem ex omnibus imperii partibus delatas Consilium pro negotiis sanitatis supremum selegit et quatenus utilitatis et publicae salutis rationem sequebantur, aliove respectu pharmacopoeae finem ac limites non excedebant, Collegio speciali ad novum codicem perscribendum constituto intimavit, ut de desideriis in provinciis vigentibus edoctum in opere componendo eorum justam rationem haberet.

Operi confecto, nunc editione septima in lucem prodeunti, sequentia subsunt principia.

In selectione medicaminum, quae materiam novi codicis constituunt, prae caeteris rationes scientificae et clinica experientia consultae fuerunt, Omittuntur medicamina, quae lapsu temporis raro nonnisi aut omnino non ab artis medicae peritis in usum vocantur et aptius remediis, principiis nunc vigentibus accomodatis, compensari possunt, porro medicamina dubiae ac variabilis efficaciae, demum sic dicta cruda, quae non partes constituentes medicaminum, sed nonnisi adminicula in parandis quibusdam praeparatis sunt.

Medicamina ultimis deceniis partim arte chemica effecta, partim ex substantiis vegetabilibus deprompta et in commercio obvia, quae thesaurum therapeuticum nimium augent non permiscue novo codici inserenda sed nonnisi ea recipienda videbantur, quorum vis non solum toxicis experimentis investigata, verum etiam circumspecta clinica experientia comprobata est; quorum constitutio chemica constans, origo certus habetur atque incorrupta indoles expedite dignosci potest.

Quum conjunctiones chemicae, quae therapeutico usui inserviunt, optimae indolis in

commercio occurant, hinc plurimae facilius emi, quam et quidem nonnisi majoribus impensis et minori qualitate in officinis pharmaceuticis parari possunt, formulae ad paranda praeparata chemica nonnisi perpaucae praescribendae erant.

Eo magis consultum videbatur omnia indicia et criteria, quibus cujusvis praeparati insigne proprium et peculiare dignoscitur, recensere. Hac de causa in descriptione cujusvis praeparati, quod arte chemica provenit, eo ordine progreditur, ut primo ejus characteres physiognomonici et proprietates physicae, quibus insignitur, exponantur, tum reactiones chemicae, quibus identitas, qualitas ac quantitas nec non incorrupta integritas praeparati dijudicatur, denique sic dictae reactiones specificae praescribantur, quibus definita aliqua substantia detegi et determinari potest, qua non raro praeparatum inquinatum sive adulteratum in commercio occurrit.

Aequa solicitudine medicaminum ex regno vegetabili et animali depromptorum physiographia et notae pharmacognosticae exponuntur atque qualitates determinantur, quibus in officinis praesto esse debent.

Ubi admonitio notatu digna videbatur, quali cura praeparata servari debeant, ibi monitum singulare adjunctum est.

Ratione habita desideriorum, quae tum a medicis quum a pharmacopolis ubique terrarum exprimuntur et eo tendunt, ut major consensio in praescriptionibus pro parandis medicaminibus pharmacenticis imprimis toxicae indolis in pharmacopoeis assequatur, rationes in formulis ad efficienda extracta et tincturas praescriptis receptae sunt, quae in praescriptionibus notabiliorum pharmacopoearum novissimis temporibus editarum occurrunt, item et methodus percolationis in apparatu sic dicto depulsorio, qua major praeparati conformitas et praestantior qualitas attingitur, usui commendabatur.

Pro futuro ergo tincturae, quae hucusque ex parte una substantiae et partibus quinque menstrui parantur, quin quantitas tincturae obtinendae definita sit, in ponderis partibus decem tincturae solubilia ex parte una substantiae adhibitae continebunt. Ubi ratio suasit methodus percolationis ad paranda extracta et tincturas praescripta est.

Ad efficiendum Extractum Filicis maris aether merus, pro Extracto Cubebae aether mixtus cum spiritu vini hucusque abhibiti in usum venit, quo conformitas horum praeparatorum cum aequalibus pharmacopoearum extranearum restituitur.

Quantitas acidi hydrocyanici in Aqua Amygdalarum amararum concentrata et in Aqua Laurocerasi, hucusque in milenis partibus ad 0·6 partes restricta, ad partem unam aucta, verum quantitas acidi arsenicosi in Solutione arsenicali Fowleri in centum partibus ad partem unam reducta est.

Ut Magnesio hydrooxydato major vis et efficacia qua antidotum arsenici albi conservetur, loco praeparati, hucusque sub denominatione „Magnesium hydrooxydatum" in pharmacopoeam recepti, consultum visum est, praescriptionem pro parando antidoto ex tempore litteris consignare et sub denominatione: „Antidotum arsenici albi" in seriem medicaminum alphabeticam collocare.

Ne denominationibus error inducatur, duo praeparata hucusque in pharmacopoeam recepta, quorum unum Decoctum Zittmanni, alterum Pulvis Doweri inscribitur, non amplius his nominibus designantur. Eorum locum tenent Decoctum Sarsaparillae compositum et Pulvis Ipeca-

cuanhae opiatus. Decocto Zittmanni locum in codice amplius concedere non convenerat, quum sacculum illud linteum, quod praeter alia et Cinnabarim factitiam atque Hydrargyrum chloratum mite includit, omni chemicae doctrinae repugnat et plane nullius effectus therapeutici se praebeat, aliud vero discrimen inter Decoctum Zittmanni et Decoctum Sarsaparillae compositum non constet.

Aegre et nonnisi usus inveterati tum medicorum aliquorum quum plebis gratia quaedam praeparata sic dicta Galeni et imprimis Collyrium adstringens luteum, cujus plane irrationalem combinationem distinctissimi ophthalmiatri abhorrent et in novum codicem pertrahere necessitas suasit. Ut attamen damna ex inepta applicatione hujus

---

Nota. Tincturae methodo supra indicata et ratione 1 : 10 effecta sunt: Tinctura Aconiti, Belladonnae folior., Cantharidum, Colchici, Digitalis, Ipecacuanhae, Lobeliae, Strychni, Opii simpl. et crocata.

Methodo percolationis parantur Extracta: Aconiti, Belladonnae foliorum, Calami, Calumbae, Cannabis Indicae, Colocynthidis, Conii, Cubebae, Filicis maris, Hyoscyami, Granati, Scillae, Secalis cornuti, Strychni. Extracta sic dicta fluida sunt: Extractum Hydrastidis Canadensis, Quebracho, Rhamni Purshiani

Quoad compositionem differunt praeparata Pharmacopoeae editionis septimae sequentia: Acetum Scillae, Electuarium lenitivum, Emplastrum adhaesivum, Cantharidum, Cerussae, Hydrargyri, Decoctum Sarsaparillae compositum, loco Decocto Zittmanni; Syrupus Ferri jodati, Syrupus Papaveris (Diacodii), Tinctura Jodi, Trochisci Ipecacuanhae et Santonini, Unguentum Hydrargyri.

medicaminis enascentia imminuantur, quantitas partium constituentium dimidio reducta est.

Nomenclatura articulorum jam in editione sexta adhibita in hac editione ea modificatione retinetur, ut medicamina ex regno vegetabili deprompta iis denominationibus disponantur, quibus in libris pharmacognosiam tractantibus et in aliis pharmacopoeis de iis disseritur; hinc nomini plantae, quae medicamen suppeditat, denominatio partis usualis — cortex, folia, flores, fructus, radix, semen etc. praeponitur.

Synonyma in editione sexta nomini principali adjuncta nunc majori ex parte plane obsoleta, quibus medici in formulis conscribendis rarissime nonnisi utuntur, adhuc retinere nullius momenti imo aptius visum erat, ea in indicem specialem relegare et eorum locum, quod ob commeatum inter gentes in diem augescentem majoris momenti est, denominationibus usitatioribus et in pharmacopoeis extraneis receptis cedere. Apparatum reagentium tum quoad junctiones chemicas, quae scopo analytico usui sunt, quum quoad utensilia et instrumenta, quae ad persolvendas disquisitiones adhibentur, magnopere augeri opus erat, quia nonnisi his adminiculis medicamina secundum

normas in pharmacopoea expositas perscrutari et indagari possunt.

Pharmacopoeae adnexae sunt tabulae regulas atque praecepta exhibentes prout medicamina in officinis ordinanda, servanda vel dispensanda sint, sive qua dosi expediri queant. His obediendis pharmacopola lege obstrictus tenetur.

Insuper in appendicem congestae sunt tabulae quae informationes, etsi aliunde repetendas, suppedidant, ut pharmacopolae in variis suis negotiis promptum consilium non desit.

Viennae mense Februario anni MDCCCLXXXIX.

Acetum.

E spiritu vini aqua diluto paratum, sit limpidum, coloris fere expers, odoris et saporis acidi peculiaris, ponderis specifici circiter 1·008.

Acetum aqua hydrosulfurata mixtum ne mutetur, cum natrio carbonico saturatum saporem nec acrem, nec empyreumaticum praebeat, leni calore ad siccum evaporatum residuum exiguum, quod restat ignitum, sit reactionis alcalinae.

Contineat in centum partibus partes 6 acidi acetici. Hinc centimetra cubica quinque (5 CC) Aceti, aequali quantitate aquae destillatae diluta, requirant minimum centimetra cubica quinquaginta (50 CC) solutionis acidimetricae decinormalis ad perfectam saturationem.

Acetum aromaticum. Oxymel simplex.

Acetum aromaticum.

Rpe: **Foliorum Menthae piperitae**
,, **Rosmarini**
,, **Salviae** *āā grammata viginti quinque* 25
Radicis Angelicae
,, **Zedoariae**

Caryophyllorum *āā grammata quinque* 5
Aceti *grammata mille.* 1000

Concisa vel contusa per triduum, saepius conquassando, in lagena clausa macera, tum cola et exprime. Liquor filtratus sit limpidus et servetur in vase bene clauso.

Acetum Scillae.

Rpe: **Bulbi Scillae siccati et minutim concisi**
Spiritus Vini diluti
Aquae destillatae *āā grammata quinquaginta* 50
Acidi acetici diluti *grammata triginta.* 30

In apparatum depulsorium immissa macera per triduum.

Liquore deinde defluxo et collecto, residuo superinfunde per vices miscellam, ex parte una acidi acetici diluti et partibus tribus aquae destillatae paratam, donec pondus totius liquoris obtenti et filtrati sit:

grammatum quingentorum. 500

Sit limpidum, coloris e rubro fusci.

Oxymel Scillae.

Acidum aceticum concentratum.

Liquor limpidus, decolor, inflammabilis, causticus, odoris fragrantissime acidi, frigore rigescens, ponderis specifici 1·06, versus 116—117° ebullit et ex integro evaporat.

Decupla quantitate aquae destillatae dilutum, nec aqua hydrosulfurata, vel superadjecta ammonia, nec solutionibus baryi nitrici sive argenti nitrici turbetur.

Centimetrum cubicum unum (1 CC) acidi cum centimetris cubicis quindecim (15 CC) aquae destillatae et centimetro cubico uno (1 CC) solutionis kalii hypermanganici (1 : 1000) mixtum, colorem induat violaceum, qui intra sextantem horae nequaquam evanescat.

Contineat in centum partibus minimum 96 partes acidi acetici.

Quodsi ex decem centimetris cubicis (10 CC) ejus, aqua diluendo, efficiuntur centimetra cubica quingenta (500 CC), in decem centimetris cubicis (10 CC) hujus diluti liquoris, neutris reddendis, minimum consumantur triginta quatuor centimetra cubica (34 CC) solutionis acidimetricae decinormalis.

Acidum aceticum dilutum.

Liquor limpidus, decolor, volatilis, odoris et saporis acidi, minime empyreumatici, ponderis specifici 1·029.

Apte dilutum eandem praebeat rationem ad reagentia, qualem acidum aceticum concentratum.

In centum partibus contineat partes 20·4 acidi acetici.

Si ergo ex decem centimetris cubicis (10 CC) ejus cum aqua destillata commiscendo centimetra cubica centum (100 CC) effeceris, decem centimetra cubica (10 CC) hujus diluti liquoris minimum requirant triginta quinque centimetra cubica (35 CC) solutionis acidimetricae decinormalis, ut reactio acida in neutram vertatur.

Acetum Scillae.

Acidum arsenicosum.

Arsenicum album.

Requiratur in massis extus plurimum albis, opacis, intus vitreis, plus minusve pellucidis.

In tubo vitreo calefactum plane avolet, sublimato albo effecto. Prunis candentibus injectum odorem alliaceum spargit.

In decem partibus ammoniae sub leni calore plane solvatur; haec solutio, acido hydrochlorico supersaturata, colorem flavum ne accipiat, neve praecipitatum producat, imo aqua hydrosulfurata addita statim sedimentum luteum efficiat, quod frigore mixtum in ammonia pura vel ammonio carbonico plane solvatur.

Solutio arsenicalis Fowleri.

Acidum benzoicum.

Crystalli e Benzoe sublimatione paratae, subflavae vel flavae, aciculares vel foliaceae, nitoris sericei, saporis aciduli, odoris benzoini.

In aqua frigida difficile, in fervida nec non in spiritu vini, in aethere et in chloroformio nec non in aethere petrolei facile solvuntur. Solutio aquosa calida refrigerando turbatur, lactis fere speciem praebens, antequam crystalli aciculares enascuntur.

Acidum benzoicum cum vaporibus aquae plane avolat. In lamina platinea fervefactum liquescit, vapores fauces pungentes tussimque excitantes evolvens, tandem flamma lucida nullo omnino residuo remanente absumitur.

Solutio aquosa, frigore saturata, ferro sesquichlorato adjecto turbatur, colorem subflavum recipiens, qui calefaciendo intensior evadit, sed addito acido hydrochlorico diluto evanescit.

Crystalli, in tubo probatorio cum liquore kalii hydrooxydati calefactae, ne ammoniam evolvant, neque, si cum solutione concentrata kalii permanganici tractantur, odorem olei amygdalarum amararum aetherei excitent.

Acidum boricum.

Crystalli squamosae, coloris expertes, nitoris languidi, ad tactum pingues, in aqua frigida difficile, in fervida nec non in spiritu vini facile et plane solubiles. Solutio spirituosa incensa flammam viridi colore tingit. Solutio aquosa. vel addito acido hydrochlorico, chartae curcumae colorem ex fusco rubrum tribuit.

Acidum boricum, in acido sulfurico concentrato calefaciendo solutum, post refrigerationem, crystallo ferri sulfurici injecto, zonam fuscam ne impertiat.

Solutio aquosa nec aqua hydrosulfurata, nec baryo nitrico, nec argento nitrico, neque ammonia neutra facta ammonio sulfurato mutetur.

Acidum carbolicum.

Phenolum.

Massa ex crystallis acicularibus composita, decolor. tempore flavescens vel fuscescens, odoris peculiaris, caustica, humiditate adtracta diffluit, reactionis neutrius. Sub

temperatura 37—40° liquescit, versus 182—184° ebullit, incensa deflagrat residuo non relicto.

Solvitur in quindecim fere partibus aquae destillatae, in omni proportione aetheris, spiritus vini, glycerini, nec non in solutionibus natrii sive kalii hydrooxydati.

Solutio aquosa, ferro sesquichlorato soluto addito, colorem caeruleum induit. Bromum in aqua solutum in solutione, ex parte una acidi carbolici et quinquaginta millibus aquae parata, continuo efficit sedimentum album flocculosum.

Acidum carbolicum liquefactum.

Acidum carbolicum liquefactum.

Rpe: **Acidi carbolici** *grammata centum* 100
Aquae destillatae *grammata decem.* 10

Calefaciendo misce.

Liquor sit limpidus, oleosus, acidum carbolicum redolens, qui ad reagentia se habeat ut acidum carbolicum crystallisatum.

Partes centum hujus praeparati minimum centimetra cubica viginti tria aquae destillatae consumant, donec quassando liquor turbidus permanet.

Aqua carbolisata.

Acidum chromicum.

Crystalli prismaticae, coloris purpurei, aëri humido expositae diffluunt, calefactae liquescunt, demum oxygenium emittentes in oxydum chromicum viride mutantur.

In aqua facillime solvuntur, aetherem vel spiritum vini concentratum comburunt.

In vase epistomeo vitreo clauso serventur.

Acidum citricum.

Crystalli prismaticae, decolores, in aëre immutabiles, sub leni temperatura fatiscunt, altiore liquescunt et decomponuntur. Solvuntur facillime in aqua, facile in spiritu vini, difficilius in aethere.

Solutio aquosa, aqua calcis abunde saturata, limpida permanet, quodsi autem solutionem ad ebulitionem calefeceris, liquor turbatur et sedimentum album demittit, quod vase bene tecto sub refrigeratione prorsus paene solvitur.

Solutio aquosa, baryo nitrico aut ammonio oxalico adjecto, limpida maneat, vel post longius temporis intervallum leviter nonnisi turbetur; aqua hydrosulfurata, vel superaddita ammonia, ne mutetur.

Crystalli Acidi citrici, cum octupla usque decupla quantitate acidi sulfurici concentrati mixtae et ad 100° calefactae, in liquorem limpidum luteum solvantur, qui calore etiam protracto nec ex rubro fuscum neque fuscum colorem induat.

In lamina platinea calefactum cineris sedimento perexiguo relicto plane avolet.

Potio Magnesii citrici effervescens.

Acidum hydrochloricum concentratum.

Acidum muriaticum concentratum.

Liquor limpidus, decolor, odoris acidi pungentis. calefactus plane evolans, ponderis specifici 1·12.

Argento nitrico adjecto sedimentum album, caseosum gignitur, quod in ammonia abundanti vel frigore facile et plane solvitur. Cum mangano hyperoxydato calefactus chlorum emittit.

Acidum quintuplo volumine aquae destillatae dilutum et gase hydrosulfurato saturatum, nec colorem flavum induat, nec praecipitatum luteum deponat, etsiamsi, in vase clauso digestum, per aliquot tempus sepositum fuerit. Ammonia neutrum factum, cum ammonio hydrosulfurato ne mutetur.

Acidum aqua dilutum, infusis aliquot guttis baryi nitrici, ne tum quidem turbetur, si solutione jodi ad colorem flavum tinctum fuit, neque colorem caeruleum exhibeat, postquam cum guttis nonnullis solutionis zinci jodati cum amylo conquassatur.

In partibus centum contineat partes 23·86 gasis hydrochlorici. Quodsi ex quinque centimetris cubicis (5 CC) ejus aqua diluendo efficiuntur centum centimetra cubica (100 CC), in decem centimetris cubicis hujus diluti liquoris neutris reddendis, minimum consumantur triginta sex centimetra cubica et sexdecimae partes (36·6 CC) solutionis acidimetricae decinormalis.

Acidum hydrochloricum dilutum.

Acidum muriaticum dilutum.

Rpe: **Acidi hydrochlorici concentrati**
grammata centum viginti 120
Aquae destillatae *grammata centum undecim.* 111
Misce. Sit ponderis 1·062.

Apte dilutum ad reagentia eandem plane rationem habeat, quam Acidum hydrochloricum concentratum. Contineat in centum partibus partes 12·4 gasis hydrochlorici, quapropter decem centimetra cubica (10 CC), ad centum centimetra cubica (100 CC) diluta, liquorem praebeant, cujus decem centimetra cubica (10 CC) per triginta sex centimetra cubica hujusque decimam partem (36·1 CC) solutionis acidimetricae decinormalis neutra reddantur.

Acidum lacticum.

Liquor limpidus, spissus, coloris et odoris expers, saporis mere acidi, ponderis specifici 1·21—1·22, aqua, spiritu vini, aethere omni proportione miscendus. Cum kalio hypermanganico calefactus odorem aldehydi exhalat. In lamina platinea calefactus deflagrat, flammam edens lucidam, residuo nullo relicto.

Leniter calefactus acida pinquia ne redoleat, neque aequali volumine acidi sulfurici concentrati admixto, ullum colorem recipiat.

Cum decem partibus aquae destillatae dilutus nec aqua hydrosulfurata, nec baryo nitrico, aut argento nitrico, aut ammonio oxalico turbetur, necque aqua calcis abundanti vel calefactus mutetur.

Acidum nitricum concentratum.

Liquor limpidus, decolor, plane volatilis, ponderis specifici 1·30, cuprum metallicum vaporibus e fusco rutilis emmissis solvit.

Decuplo volumine aquae dilutus nec aqua hydrosulfurata sola, nec si exiguam quantitatem acidi tartarici

soluti, dein superabundantem ammoniam et ammonium sulfuratum addideris, mutetur, nec argento nitrico aut baryo nitrico turbetur. Cum quintupla volumine aquae dilutus et cum guttis nonnullis chloroformii conquassatus huic colorem violaceum ne tum quidem tribuat, si liquorem adjecta aliqua parte stanni foliati leniter calefeceris.

Quinque centimetra acidi diluti, cum guttis quinque solutionis kalii permanganici (1 : 1000) mixta, colore ex violaceo rubro persistente tingantur.

Contineat in centum partibus partes 47·45 acidi, quapropter decem (10 CC) centimetra cubica ejus, ad quingenta (500 CC) centimetra diluta, liquorem praebeant, cujus decem centimetra cubica (10 CC) per undeviginti centimetra cubica hujusque sex decies partes (19·6 CC) solutionis acidimetricae decinormalis neutra redduntur.

Servetur in vasis optime clausis a luce remotis.

Acidum nitricum dilutum.

Rpe:	**Acidi nitrici concentrati**	*grammata ducenta*	200
	Aquae destillatae	*grammata ducenta et quadraginta tria.*	243

Misce. Sit ponderis 1·129. Apte dilutum eandem plane ad reagentia rationem habeat, quam acidum concentratum.

Contineat in centum partibus partes 21·42 acidi, quapropter ejus decem centimetra cubica (10 CC), ad centimetra cubica centum (100 CC) diluta, liquorem praebeant, cujus decem centimetra cubica (10 CC) per triginta octo centimetra cubica hujusque quatuor decies partes (38·4 CC) solutionis acidimetricae neutra redduntur.

Acidum nitrico-nitrosum.

Acidum nitricum fumans.

Liquor limpidus, e rubro fuscus, plane volatilis, vapores emittens suffocantes, e flavo rubros. Pondus specificum minimum sit 1·45—1·50.

Quinquagies aqua dilutus baryo nitrico, vel argento nitrico vix turbetur.

Caute loco frigido et obscuro servetur.

Acidum phosphoricum.

Liquor limpidus, decolor, odoris expers, ponderis specifici 1·094.

Argento nitrico adjecto liquor limpidus et decolor maneat, quodsi vero caute ammonia admiscetur, sedimentum flavum oritur, quod superabundante acido aeque ac superaddita ammonia solvitur.

Liquor argento nitrico et abundante ammonia mixtus atque ad ebullitionem calefactus, nec colorem nigricantem induat, neque ejusmodi sedimentum deponat. Aqua hydrosulfurata saturatus ne tum quidem colorem flavum sive nigro-fuscum induat aut turbetur, si longius tempus vase tecto leni calore repositus fuerit. Duplo volumine aquae addito, nec baryo nitrico, nec ammonio oxalico et superabundante ammonia statim mutetur aut turbetur. Sextuplo volumine spiritus vini mixtus limpidus maneat. Cum dimidio volumine acidi sulfurici concentrati mixtus, superaffusa solutione ferri sulfurici, zonam intermediam fuscam ne gignat. In patella platinea evaporatum et vehementer calefactum acidum nonnisi vestigia residui relinquat, quod igne non consumitur.

In apparatu Marshii examinatum ne ullam quidem speciem speculi arsenici praebeat.

Contineat in centum partibus partes 16·66 acidi orthophosphorici, quapropter centimetra cubica quinque (5 CC), cum magnesii oxydati recenter usti grammate uno (1 Grm) ad siccum evaporata et ignita, residuum praebeant ponderis 1·660 grammatum.

Acidum pyrogallicum.

Lamellae nitidae, levissimae, albae, saporis phenoli similis asperi et post amari, facile solubiles in aqua, spiritu vini et aethere; sub calore 130° liquescunt, fervefactae sublimant.

Solutio aquosa, non nimis diluta, fere neutra est et liquore ferri sesquichlorati adjecto, colorem primo ex fusco viridem, post ex fusco rubrum ducit. Solutione ferri sulfurici diluta color subcaeruleus, concentrata caeruleus gignitur; aqua calcis abundante color ex violaceo ruber, postea, dum liquor turbatur, fuscus procreatur.

Solutio aquosa Acidi pyrogallici, addito kalio hydrooxydato soluto, colorem trahit initio luteum, brevi post ex fusco nigricantem.

In solutione argenti nitrici Acido pyrogallico argentum metallicum disjungitur.

Servetur vase clauso luci impervio.

Acidum salicylicum.

Crystalli albae, aciculares, sive pulvis crystallinus albus, subtilis, odoris expers, saporis subdulcis acidi.

In aqua frigida difficille, in fervida nec non in glycerino tepido et chloroformio facilius, in spiritu vini

et aethere facillime solubilis, aquae vaporibus avolat, calore circiter 156° liquescit.

Cum calcio oxydato calefactum vapores emittit acidi carbolici. In aqua solutum, ferro sesquichlorato addito, colorem induit ex violaceo rubrum.

In decem partibus spiritus vini solutum argento nitrico, guttis aliquot acidi nitrici admixtis, ne mutetur. Cum sextuplo pondere acidi sulfurici concentrati mixtum, colorem omnino non trahat. Solutio spirituosa sua sponte ad siccum evaporata, residuum plane album relinquat.

Acidum sulfuricum concentratum.

Liquor decolor, odoris expers, oleo similis, calore volatilis, ponderis specifici 1·84. Aqua dilutus, baryo nitrico admixto, sedimentum album, in aqua et in acidis insolubile, demittit.

Acidum cum quintuplo volumine spiritus vini caute dilutum vel post longius temporis intervallum ne turbetur; cum quintuplo volumine aquae dilutum, superfusa solutione ferri sulfurici eo, quo liquores se tangunt, strato zonam fuscam ne exhibeat. Decem centimetra cubica acidi, cum decupla quantitate aquae diluta, colorem rubrum cum tribus sive quatuor guttis solutionis kalii hypermanganici (1 : 1000) effectum, per quadrantem circiter horae servent. Acidum caute in aquam hydrosulfuratam instillatum ne tum quidem turbetur aut colore viridi inficiatur, quum ammoniam abundantem et ammonium sulfuratum addideris; vicies aqua dilutum argento nitrico ne turbetur. In apparatu Marshii examinatum ne vestigium quidem speculi arsenici edat.

Contineat in centum partibus minimum 96·0 partes acidi sulfurici.

Quapropter quinque ejus centimetra cubica (5 CC), aqua ad quingenta centimetra cubica (500 CC) diluta, liquorem praebeant, cujus decem centimetra cubica (10 CC), ut neutra evadant, minimum triginta sex (36 CC) centimetra cubica solutionis acidimetricae decinormalis consumant.

Liquor acidus Halleri.

Acidum sulfuricum dilutum.

Rpe: **Acidi sulfurici concentrati** *grammata centum* 100
Aquae destillatae *grammata quadringenta septuaginta sex.* 476

Misce acidum in aquam instillando.

Sit ponderis specifici 1·12.

Apte dilutum eandem rationem ad reagentia habeat, quam Acidum sulfuricum concentratum.

Contineat in centum partibus partes 16·66 acidi sulfurici, hinc decem ejus centimetra cubica (10 CC), aqua ad centimetra cubica centum (100 CC) diluta, liquorem praebeant, cujus centimetra cubica decem (10 CC) minimum centimetra cubica triginta octo et unam decimam partem (38·1 CC) solutionis acidimetricae decinormalis consumant, ut neutra reddantur.

Acidum tannicum.

Tanninum.

Pulvis albus vel subflavus, sive lamellae nitentes, saporis austeri adstringentis, in aqua et in spiritu vini

facile, nec non in glycerino, minime in aethere puro solubiles.

Ferrum sesquichloratum in solutione aquosa diluta colorem caeruleum, in concentrata sedimentum ex caeruleo nigricans producit, quod acido sulfurico addito evanescit.

Acidum in quinque partibus aquae solutum, pari volumine spiritus vini adjecto, solutionem limpidam, reactionis acidae praebeat, quae vel dimidio aetheris volumine addito ne turbetur. Fervefactum in lamina platinea deflagret, cineris nonnisi vestigia relinquens.

Acidum tartaricum.

Crystalli prismaticae vel tabulaeformes, decolores, diaphanae, frequenter in crustas concretae, aëre persistentes, facillime in aqua, facile in spiritu vini solubiles.

Solutio aquosa, cum solutione kalii acetici mixta, brevi tempore efficit sedimentum crystallinum decolor, nitidum. Acidum in lamina platinea fervefactum, odorem sacchari tosti spargens, carbonescit, ignitum deflagrat, minimum cineris relinquens.

In solutione aquosa (1 : 10) nec calcio sulfurico, nec baryo nitrico, nec ammonia saturata ammonio oxalico turbetur. Aqua hydrosulfurata in solutione concentrata acidi (1 : 2) nec colorem, nec sedimentum fusco-nigrum vel superaddita ammonia producat.

Pulvis aërophorus. Pulvis aërophorus Seidlitzensis. Magnesium citricum effervescens.

Aether.

Liquor limpidus, decolor, admodum volubilis, odoris peculiaris, ponderis specifici 0·725, calore 34—36° ebullit.

Volumen unum aquae, additis aliquot guttis solutionis laccae musci, cum aequali volumine Aetheris vehementer conquassatum, ne plus quam decima parte augeatur, neve color ejus caeruleus in rubrum mutetur.

Charta bibula, Aethere imbuta, ne praebeat post Aetheris evaporationem odorem olei vini vel fermentolei.

Servetur in vasis optime clausis loco frigido.

Spiritus Aetheris.

Aether aceticus.

Liquor limpidus, decolor, odoris peculiaris recreantis, plane volatilis, ponderis specifici 0·90, calore 74—76° ebullit, in spiritu vini aeque ac in aethere quavis proportione miscendus.

Volumen aquae cum aequali volumine Aetheris acetici mixtum, conquassando ne plus quam decima parte augeatur. Addita solutione laccae musci color caeruleus ne statim in rubrum mutetur.

Servetur in vasis optime clausis loco frigido.

Aloë.

Aloë ferox Miller, *Aloë spicata* Haworth, *Aloë vulgaris* Lamarck et aliae *Aloës* species Capenses. *Liliaceae.*

Substantia extractiformis, e foliis praeparata, occurrit in massis extus e subviridi obscure fuscis aut

nigricantibus, saepe pulvere viridescenti adspersis, fragilibus friabilibusque, in fractura granulato-conchatis, vitri instar nitentibus, in frustulis tenuibus claris, pellucidis, amorphis, colore flavido-aut subrubro-fusco, pulverem flavum praebentibus, odoris peculiaris subnauseosi, saporis peramari.

In aqua frigida Aloë ex parte solvitur; cum duplici aquae fervidae quantitate solutionem fere limpidam, coloris fusci praebet, quae refrigerata substantia resinosa secedente turbatur. Cum spiritu vini concentrato solutio perfecte limpida oritur, quae vel ope caloris effecta, post refrigerationem non turbatur. Aetherem ebullientem Aloë solummodo levissime flavescentem, chloroformium nullo modo colorat.

Extractum. Massa pilularum Ruffi. Pilulae laxantes.

Alumen.

Crystalli octaedricae, decolores, in aëre parum fatiscentes, saporis stiptici subdulcis, reactionis acidae. Solvuntur in decem circiter partibus aquae frigidae, facilius in aqua fervida. Calefactae aquam emittunt et massam albam spongiosam relinquunt, ignitae acidum sulfuricum emittunt. In limbo flammae parum fulgentis calefactae, hunc violaceo colore inficiunt.

Liquor kalii hydrooxydati in solutione aquosa Aluminis sedimentum album, gelatinosum efficit, quod kalio hydrooxydato excedente solvitur; liquor ammoniam, vel calefactus, ne redoleat, neque aqua hydrosulfurata addita turbetur.

Solutio quoque aquosa aqua hydrosulfurata neturbetur.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

Alumen ustum.

Rpe: **Aluminis pulverati** *grammata centum* 100
in patina diffusa primo balneo aquae leni calore, post balneo arenae assidue triturando et permiscendo calore 180° non excedente calefiant, donec pondus residui ad
grammata quinquaginta quinque 55
reductum fuerit.

Sit pulvis albus, in viginti quinque partibus aquae lente quidem sed limpide solubilis.

Solutio aquosa ad reagentia eandem plane rationem habeat, quam alumen crystallisatum.

Servetur in vase bene clauso.

Aluminium aceticum solutum.

Liquor Aluminii acetici. Liquor Burowii.

Rpe: **Aluminii sulfurici** *grammata trecenta* 300
solve in:
Aquae destillatae *grammis sexcentis viginti* 620
adde
Acidi acetici diluti *grammata quingenta et quadraginta.* 540

Solutione peracta ingere sensim, sub continua agitatione pultem, paratam ex
Calcii carbonici praecipitati *grammis centum et triginta* 130
et
Aquae destillatae *grammis ducentis.* 200

Miscella stet loco frigido per viginti quatuor horas saepius agitando, tum cola et exprime, quin residuum eluas. Colaturam filtra.

Liquor obtentus sit limpidus, coloris expers, saporis adstringentis, subdulcis, reactionis acidae, leviter acidum aceticum redolens, ponderis specifici 1·044—1·046. In balneo aquae fervefactus, parte quinquagesima kalii sulfurici addita, coagulatur, refrigeratus brevi tempore in liquorem limpidum revertitur.

Cum duplici volumine spiritus vini concentrati mixtus nonnisi opalescat, ne vero sedimentum deponat. Aqua hydrosulfurata ne mutetur.

Continet in centum partibus partes circiter 8 aluminii subacetici.

Aluminium sulfuricum.

Frusta crystallina, alba, in aqua frigida facile, facilius in fervida solubilia, in spiritu vini non solvuntur.

Solutio aquosa, reactionis acidulae, est saporis acidi constringentis; addito kalio hydrooxydato efficitur praecipitatum album, gelatinosum, quod excedente kalio hydrooxydato limpide solvitur; solutio baryi nitrici sedimentum praebet album, in acidis insolubile.

Aqua hydrosulfurata, solutioni Aluminii sulfurici admixta, ne coloretur neve turbetur, ammonia abundante addita, praecipitatum inde ortum sit coloris mere albi.

Solutio aquosa cum solutione kalii ferricyanati praecipitatum coeruleum ne edat, neque, ammonia excedente addita, liquorem praebeat, qui a sedimento inde enato filtratione separatus, ammonio sulfurato turbetur.

Ammonia.

Ammonia pura liquida. Liquor Ammonii caustici.

Liquor limpidus, decolor, odoris peculiaris penetrantis, pungentis, saporis caustici, reactionis peralcalinae, plane volatilis, ponderis specifici 0·96.

Acido hydrochlorico admoto nebulas albas, densas efformat. Liquor ammonii nec aqua hydrosulfurata, vel acido acetico supersaturatus, neque ammonio oxalico et, si acidum nitricum adjeceris, nec baryo nitrico vel argento nitrico turbetur. Cum acido nitrico abunde saturatus et evaporando ad siccum redactus, residuum relinquat coloris expers, quod fortius calefactum plane avolet.

Contineat in centum partibus partes 10 ammoniae, quapropter centimetra cubica quinque (5 CC), ad centum centimetra cubica diluta (100 CC), liquorem praebeant, cujus centimetra cubica decem (10 CC) viginti octo centimetra cubica et duas decimas partes (28·2 CC) solutionis alcalimetricae consumunt, ut neutra evadant.

Linimentum ammoniatum. Linimentum saponato-camphoratum. Liquor Ammoniae anisatus.

Ammoniacum.

Gummi-resina Ammoniacum.

Dorema Ammoniacum Don, planta perennis, in Persia et in desertis circa lacum Aral crescens. *Umbelliferae.*

Succus gummi-resinosus, e caule sponte effluens, aëre induratus, provenit in granis distinctis aut inter se conglutinatis, subglobosis, magnitudine pisi usque ad nucis juglandis molem, extus coloris albido-flavescentis

vel fuscescentis, opacis, aut paullo pinguiter nitentibus, in fractura conchata lacteis aut subviolaceo-albicantibus, opalini adspectus, in fragmentis tenuibus diaphanis, duriusculis, sed manus calore mollescentibus, saporis amari, acris et nauseosi, odoris peculiaris haud grati.

Ammoniacum cum aqua emulsionem albam praebet, quae addito liquore natrii caustici, colorem flavum, tum fuscum trahit. Solutione calcii hypochlorosi humectatum colorem aurantiacum accipit. Aqua Ammoniaco superfusa, addita gutta ammoniae non fluorescit.

Ad usum pharmaceuticum sub tempestate gelida pulverandum et ope cribri a quisquiliis separandum est.

Emplastrum Diachylon compositum. Emplastrum Meliloti. Emplastrum oxycroceum.

Ammonium aceticum solutum.

Liquor Ammonii acetici.

Rpe: **Acidi acetici diluti** *grammata centum.* 100
Paulatim adde
Ammonii carbonici ruditer tusi *q. s.*
ad perfectam neutralisationem
(*circ. grammata viginti et dimidium.* 20·5)
Liquori filtrato admisce
Aquae destillatae *q. s.*
ut solutio sit ponderis specifici 1·03.

Sit limpidum, coloris expers, ex integro volatile et, quantum obtineri potest, neutrum. Aqua hydrosulfurata tentatum ne turbetur.

Ammonium bromatum.

Pulvis albus, crystallinus, facile in aqua, difficulter in spiritu vini solubilis, fervefactus plane volatilis; solutio aquosa est reactionis neutrius; additis aliquot guttis aquae chlori et chloroformii huic conquassando colorem e flavo rubrum tribuit; cum kalio hydrooxydato mixta ammoniam redolet.

Sal nonnullis guttis acidi sulfurici diluti humectatus colorem flavum ne statim trahat. Centimetra cubica quinque solutionis aquosae (1:10), cum una gutta solutionis ferri sesquichlorati mixta et addito chloroformio conquassata, huic colorem violaceum ne tribuant.

Salis sub temperatura 100° siccati decigrammata duo (0·2 Grm) in decem circiter centimetris cubicis (10 CC) aquae destillatae soluta, additis aliquot guttis solutionis kalii chromici, nec infra viginti nec ultra viginti unum (21 CC) centimetra cubica solutionis argenti nitrici decinormalis requirant, donec praecipitatum inde ortum constanter rubrum colorem conservat.

Ammonium carbonicum.

Massae crystallinae, durae, diaphanae, coloris expertes, odoris pungentis, ammoniacalis, aëre fatiscentes, hinc exstrinsecus plerumque pulvere albo obtectae; in pulverem redactae facile in aqua solvuntur, calore plane volatiles, acidis adjunctis effervescunt.

Solutio aquosa, argento nitrico abunde mixta et acido nitrico acidulata, neque colorem fuscum trahat, nec post aliquot tempus plus quam opalescat; eadem acido acetico acidulata neque aqua hydrosulfurata, nec ammonio oxalico, nec baryo nitrico muletur.

Gramma unum salis acido nitrico supersaturatum et in balneo aquae evaporando siccatum, residuum efficiat coloris expers, quod magis calefactum plane evolet.

Praeparatum in pulverem album dilapsum rejice.

Ammonium chloratum.

Pulvis crystallinus, albus, odoris expers, in aqua frigida facile, in ebullienti facilius limpide solvitur, in spiritu vini paene insolubilis est, calefactus sine residuo evaporat.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, cum kalio hydro-oxydato soluto calefacta, ammoniam evolvit, cum argento nitrico mixta, sedimentum album, caseosum, in ammonia solubile efficit.

Solutio aquosa (1 : 20) nec aqua hydrosulfurata, nec baryo nitrico, nec acido sulfurico diluto mutetur, nec, acido hydrochlorico acidulata et guttis aliquot ferri sesquichlorati soluti additis, rubro colore tingatur. Ammonium sulfuratum sedimentum nigrum ne efficiat, ad summum colorem viridem haud solidum producat.

Gramma unum salis, cum acidi nitrici exigua quantitate in balneo aquae evaporando siccatum, residuum album praebeat, quod leniter candefactum colorem omnino non trahat sed plane aufugiat.

Collyrium adstringens luteum.

Amygdalae amarae.

Amygdalus communis Linn., Var. *amara* DC., arbor in regione mediterranea spontanea, apud nos culta. *Rosaceae. Pruneae.*

Semina saepe nonnihil minora caeterum omni ex parte Amygdalis dulcibus quoad formam similia, sed saporis sunt peramari et cum aqua trita odorem spargunt proprium aethereum.

Aqua Amygdalarum amararum concentrata. Syrupus amygdalinus.

Amygdalae dulces.

Amygdalus communis Linn., Var. *dulcis* DC., arbor in regione mediterranea spontanea, apud nos culta. *Rosaceae. Pruneae.*

Semina exalbuminosa, ovata, acutiuscula, compressa, ad duo et dimidium centimetra longa, sub apice hilo superficiali, basi rotundata chalaza ampla, orbiculari instructa, integumento membranaceo, longitudinaliter nervoso, sulcato-striato, pulverulento-scabriusculo, cinnamomeo, embryone cotyledonibus duabus magnis, planoconvexis, albis, oleoso-carnosis, facile secedentibus, radicula recta, brevi.

Sunt saporis oleosi, subdulcis. Aqua trita emulsionem albam inodoram praebent.

Ne sint rancida, vetusta, neque contineant semina Amygdali amari.

Oleum. Emulsio amygdalina. Syrupus amygdalinus.

Amylium nitrosum.

Liquor limpidus, subflavus, odoris peculiaris, fructuum non dissimilis, saporis urentis aromatici, ponderis specifici 0·902, inter 95—98° ebulliens, in aqua vix, in spiritu vini et aethere omni proportione solubilis. Incen-

sus deflagrat, flammam edens flavam, lucidam, fuliginosam, residuo nullo relicto.

Quodsi solutioni ferri sulfurici superfunditur Amylium nitrosum, brevi tempore eo plano, quo ambo liquores inter se contingunt, color fuscus nascitur.

Sit reactionis neutrius aut ad summum acidulae. Quodsi Amylii nitrosi volumen unum, cum voluminibus tribus mixturae ex aequalibus partibus ammoniae et spiritu vini absoluto, adjecta exigua parte argenti nitrici soluti, leniter calefit. ne colorem fuscum neve nigrum ducat.

Conquassando aequales partes Amylii nitrosi et aquae destillatae volumen alterius vix augeatur.

Servetur a luce remotum, in vasis bene siccatis et clausis.

Amylum Marantae.

Arrow-root.

Maranta arundinacea Linn., planta in insulis Antillanis spontanea, in pluribus terris tropicis culta, forsan etiam aliae *Marantae* species. *Marantaceae.*

Amylum, e rhizomate tuberoso separatum, sistit pulverem albissimum, opacum, subtilissimum, inodorum insipidumque, compositum e granulis simplicibus, plerumque ovatis, subcompressis, diametro longitudinali 0·022—0·054 millim., stratis tenerrimis excentricis et in regione diametri transversi latioris nucleo claro, paulum excentrico aut rimula transversa notatis.

Cave ne sit adulteratum Amylo *Tritici, Oryzae, Maidis* aut *Solani tuberosi*, neve adhibeatur Amylum aliarum plantarum sub eodem nomine „Arrow-root“ in mercatura occurrens, ut *Amylum Curcumae, Amylum Sagi, Amylum Manihot, Amylum Batatas.*

Amylum Tritici.

Triticum vulgare Linn. *Gramineae.*

Amylum, e fructibus in officinis propriis separatum. venditur in frustis irregularibus, facillime dilabentibus in pulverem subtilissimum, album vel e subcoeruleo album, opacum, odoris et saporis expertem, in aqua frigida et in spiritu vini insolubilem.

Microscopio exploratum, sistit granula, quorum alia sunt minima, plerumque globosa aut subglobosa, alia permulto majora, diametro 0·03—0·036 millim., orbicularia vel subrenata, singula eorum nucleo aut rima stellata centrali et stratis concentricis ornata; granula magnitudinis mediae rarius inveniuntur.

Pulvis gummosus. Unguentum Glycerini.

Antidotum Arsenici albi.

Magnesium hydrooxydatum in aqua.

Rpe: **Magnesii oxydati** *grammata septuaginta quinque* 75

Aquae destillatae tepidae *grammata quingenta.* 500

Conquassando in lagena optime claudenda misceantur ex tempore.

Antifebrinum.

Acetanilidum.

Lamellae crystallinae, decolores, nitorem adipi similem exhibentes, odoris expertes, saporis modicae

urentis, reactionis neutrius. Aqua frigida difficulter, fervida facilius, spiritu vini et aethere facile solvuntur, circa 112° liquescunt, versus 295° indecompositae evaporant, super lamina platinea sine residuo comburunt.

Antifebrinum in acido sulfurico concentrato leniter calefactum solvitur, solutio sit coloris expers. Cum solutione concentrata kalii hydrooxydati coctum decomponitur, vapores anilini emittens. Parva portio Antifebrini, in tubo probatorio cum exigua frustula kalii hydrooxydati fusi calefacta, emittit in summo plano kalii hydrooxydati liquefacti anilini guttam subflavam oleaceam, et quodsi post refrigerationem aquam destillatam ac abundans acidum sulfuricum dilutum addideris, solutio obtenta, admixtis aliquot guttis aquae chlori, violaceum colorem induit.

Antipyrinum.

Phenyldimethylpyrazolonum. (Oxydymethylchinicinum.)

Pulvis crystallinus, albus, odoris fere expers, saporis amari, sive lamellae crystallinae nitoris adipi similis, facillime in aqua, spiritu vini et chloroformio, multo difficilius in aethere solubiles, reactionis neutrius. Calore 111—113° liquescit. In lamina platinea fervefactus concrematur residuo nullo relicto.

Solutio aquosa, cum gutta ferri sesquichlorati soluti mixta, colorem solide rubrum recipit, qui aliquot guttis acidi sulfurici concentrati additis in subflavum transit.

Solutio aquosa diluta, adjuncta solutione kalii nitrosi antea acido sulfurico diluto acidulata, colorem caeruleo viridem induit.

Apomorphinum hydrochloricum.

Pulvis crystallinus, e cinereo albus, siccus, in aqua et spiritu vini solubilis, in aethere et chloroformio fere insolubilis.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, coloris plane aut fere expers, aëre exposita lente calefacta, citius virescit et reactionem alcalinam recipit. Sal siccum, aëri humido et luci expositum, colorem viridem induit, acido nitrico adjecto, sanguineum. Idem color nascitur, si solutioni aquosae aliqua acidi nitrici concentrati portio admiscetur. Solutio aquosa, mixta cum kalio hydrooxydato soluto, brevi tempore colorem ex fusco nigricantem trahit, ferri sesquichlorati solutio amethystinum colorem efficit.

Sal in lamina platinea calefactus deflagrat, odorem peculiarem aromaticum spargens, residuo nullo relicto.

Servetur loco sicco, in vasis optime clausis, a luce remotum.

Aquae destillatae.

Medicamina, ad parandas aquas destillatas praescripta, nonnisi concisa sive contusa adhibeantur et in genere per viginti quatuor horas cum aqua macerentur, antequam destillatio instituitur.

Aquae destillatae sint odoris et saporis peculiaris, qui substantiis volatilibus medicaminum inest, e quibus parantur.

Serventur loco obscuro et frigido. Aetheroleum innatans ante dispensationem filtrando separetur.

Aqua hydrosulfurata admixta ne mutentur.

Aquae odoris fere vel penitus expertes sive mucedine corruptae rejiciantur.

Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

Rpe: **Amygdalarum amararum** *grammata octingenta.* 800

Contunde et iterata expressione ab oleo pingui libera. Placentam residuam in pulverem redactam in duodecim partes divide.

Partem unam sepone, reliquas undecim partes sensim ingere in vesicam destillatoriam, quae continet

Aquae destillatae bullientis *grammatum sex millia.* 6000

Miscella ebulliat per aliquot minutas, dein ignem extingue.

Post refrigerationem admisce adhuc residuam partem placentae.

Stet per nycthemerum dein destilla, donec

grammata mille 1000

vel q. s.

transierint, ut *milenae partes* aquae contineant *partem unam* acidi hydrocyanici.

Ad quantitatem dicti acidi determinandam inserviat solutio cupri sulfurici volumetrica, cujus quodvis centimetrum cubicum indicat milligramma unum acidi hydrocyanici.

Hinc miscella, confecta ex Aquae Amygdalarum amararum concentratae centimetris cubicis viginti quinque (25 CC) et ammoniae centrimetris cubicis quinque (5 CC), requirat centimetra viginti quinque (25 CC) solutionis cupri sulfurici, donec liquor colorem caeruleum non amplius evanescentem induit.

Aqua Amygdalarum amararum sit parum lactescens, oleum amygdalarum amararum et acidum hydrocyanicum redolens, saporis urentis minime dulcis.

Servetur in lagenis minoribus plenis, optime clausis, loco obscuro et frigido.

Aqua Amygdalarum amararum diluta.

Aqua Amygdalarum amararum diluta.

Rpe: **Aquae Amygdalarum amararum concentrata**
grammata viginti quinque 25
Aquae destillatae *grammata quadringenta et septuaginta quinque.* 475

Misceantur ex tempore.

Aqua aromatica spirituosa.

Rpe: **Florum Lavandulae,**
Foliorum Salviae,
„ **Melissae,**
„ **Menthae crispae**
āā grammata quinquaginta 50
Seminis Myristicae,
Caryophyllorum,
Macidis,
Corticis Cinnamomi,
Radicis Zingiberis,
Fructus Foeniculi *āā grammata viginti quinque.* 25

Concisis et contusis affunde
Spiritus Vini concentrati *grammata quingenta* 500
Aquae *grammatum quatuor millia.* 4000

Post macerationem per duodecim horas abstrahe *grammatum duo millia et quingenta.* 2500

Aqua Aurantii florum.

Aqua Naphae.

Sit limpida vel subopalescens, coloris expers, odoris suavis florum Aurantii, saporis amariusculi.

Gelatina Liquiritiae pellucida. Pasta gummosa. Syrupus Capilli Veneris.

Aqua Calcis.

Rpe: **Calcii oxydati recenter usti** *grammata centum.* 100

Consperge in olla fictili cum

Aquae *grammis quadringentis.* 400

Post extinctionem agitando admisce

Aquae *grammatum quinque millia.* 5000

Aliquod horis elapsis partem liquidam effunde et sedimento relicto admisce

Aquae destillatae *grammatum quinque millia.* 5000

Miscella servetur in lagena vitrea bene clausa, interdum agitando.

Usui liquorem limpidum abstrahe et, si opus est, filtra.

Sit limpida, coloris expers, reactionis fortiter alcalinae, ebullitione turbetur.

Aqua carbolisata.

Rpe: **Acidi carbolici liquefacti** *grammata triginta tria* 33 solve in

Aquae destillatae

grammis nongentis sexaginta septem. 967

Liquor sit limpidus, acidum carbolicum redoleat.

Aqua carminativa.

Rpe: **Florum Chamomillae Romanae** *grammata centum* 100
Corticis Fructus Aurantii
„ „ **Citri**
Foliorum Menthae crispae
Fructus Carvi
„ **Coriandri**
„ **Foeniculi** *āā grammata triginta* 30

concisis et contusis affunde:
Aquae *grammatum quatuor millia.* 4000

Post macerationem per viginti quatuor horas abstrahe *grammatum duo millia.* 2000

Aqua Chamomillae.

Rpe: **Florum Chamomillae vulgaris**
grammata ducenta 200
Aquae *grammatum sex millia* 6000
Abstrahantur *grammatum duo millia.* 2000

Aqua Chlori.

Chlorina liquida.

Rpe: **Mangani hyperoxydati in frustis** *q. s.*
ut expleatur cucurbita satis capax, tunc adde

Acidi hydrochlorici venalis, antea tertia parte aquae diluti, quantitatem sufficientem, ut ad dimidium circiter cucurbita repleatur.

Cucurbitam junge cum excipulo Wulfiano, cui inest aquae quantitas sufficiens ad lotionem gasis extricati.

Excipulo adapta tubum vitreum bis curvatum, cujus longior extremitas fere tangat fundum lagenae, quae ad dimidium aqua destillata sit repleta.

Leni calore fiat extricatio gasis. Lagenam, quodsi chloro repleta fuerit, commuta cum altera, eandem quantitatem aquae destillatae continente. Lagena remota claudatur et gas cum aqua conquassetur, dein denuo chlorum in lagenam inducatur. Hanc agendi rationem etiam cum altera lagena exsequere et repete, donec gas non amplius absorbeatur.

Sit limpida, e subflavo viridis, odoris suffocantis, colores vegetabiles cito destruat.

Servetur in lagenis parvis, penitus repletis, epistomeis vitreis clausis, a luce remotis in loco frigido.

Aqua Cinnamomi simplex.

Rpe: **Corticis Cinnamomi contusi**

	grammata ducenta	200
Aquae	*grammatum quatuor millia.*	4000

Macera per duodecim horas, deinde abstrahe

	grammatum duo millia.	2000

Tinctura Chinae composita.

Aqua Cinnamomi spirituosa.

Rpe: **Corticis Cinnamomi contusi**
grammata ducenta 200
Aquae *grammatum quatuor millia.* 4000
Spiritus Vini diluti
grammata ducenta quinquaginta. 250
Macera per duodecim horas, tum abstrahe
grammata mille. 1000

Syrupus Cinnamomi. Tinctura amara. Tinctura Malatis Ferri. Tinctura Opii crocata.

Aqua destillata.

Aquae communis destillatio in apparatu optime mundato ita instituatur, ut liquidi duodecima circiter pars, quae prima in excipulum stillaverit, rejiciatur, deinde destillatio tamdiu continuetur, donec totius aquae adhibitae tres fere quadrantes in excipulum transmissae fuerint.

Aquae destillatae grammata viginti post evaporationem residui nihil relinquant. Cum aqua hydrosulfurata, sive cum solutionibus hydrargyri bichlorati, argenti nitrici, baryi chlorati, plumbi acetici basici, ammonii oxalici tentata ne mutetur. Centimetra cubica centum aquae destillatae cum centimetris cubicis quinque acidi sulfurici mixta et ad temperaturam 100° circiter calefacta, ad summum centimetrum cubicum dimidium solutionis volumetricae kalii hypermanganici consumant, ut colore rosaceo intra quadrantem horae non evanescente tingantur.

Aqua Foeniculi.

Rpe: **Fructus Foeniculi contusi**
grammata centum 100

Aquae	*grammatum quatuor millia.*	4000

Macera per duodecim horas, tum abstrahe

	grammatum duo millia.	2000

Aqua Goulardi.

Rpe: **Plumbi acetici basici soluti**		
	grammata duo	2
Aquae	*grammata centum*	100
Spiritus Vini diluti		
	grammata quinque.	5

Ex tempore paretur.

Aqua Laurocerasi.

Sit subturbida vel limpida, odoris et saporis penetrantis olei aetherei amygdalarum amararum, minime dulcis.

Contineat in *milenis partibus partem unam* acidi hydrocyanici, quod eadem opera, qualis pro determinanda quantitate acidi hydrocyanici in Aqua Amygdalarum amararum praescripta est, exploretur.

Servetur loco obscuro et frigido.

Aqua Melissae.

Rpe: **Foliorum Melissae concisorum**		
	grammata quadringenta	400
Aquae	*grammatum sex millia.*	6000

Abstrahantur

	grammatum duo millia.	2000

Aqua Menthae piperitae.

E Foliis Menthae piperitae concisis paretur ut Aqua Melissae.

Aqua plumbica.

Rpe: **Plumbi acetici basici soluti**

gramma unum 1

Aquae destillatae

grammata quinquaginta. 50

Misce ex tempore.

Aqua Rosae.

Rpe: **Olei Rosae** *decigramma unum* 0·1

Aquae destillatae tepidae

grammata quadringenta. 400

Misce bene conquassando ad olei solutionem et filtra.

Unguentum emolliens. Unguentum rosatum.

Aqua Rubi Idaei.

Rpe: **Fructuum Rubi Idaei maturorum recentium**

grammata quadringenta 400

Aquae *grammatum quatuor millia.* 4000

Abstrahe *grammatum duo millia.* 2000

Aqua Salviae.

E Foliis Salviae paretur ut Aqua Melissae.

Araroba depurata.

Chrysarobinum.

Andira Araroba Aguiar, arbor in silvis provinciae Brasiliensis Bahia frequens. *Leguminosae. Papilionaceae.*

Pulvis crystallinus, levis, coloris aurei, odoris et saporis expers, ex Araroba cruda, substantia friabili subterrosa, coloris flavido-subfusci vel ochracei, in cavernis lysigenis ligni arboris reperta, depurando benzolo fervido paratus.

Cum aqua ebulliente conquassatus praebet filtrando liquorem subflavum, qui neque chartam exploratoriam mutat, neque solutione ferri sesquichlorati coloratur; cum ammonia colorem coccineum trahit, cum acido sulfurico concentrato oritur solutio rubro-fusca, cum kalio hydrooxydato solutio intense cerasina, quae aqua diluta, colore viridi fluorescit. In spiritu vini concentrato fervido maxima ex parte solvitur colore aureo. In patina calefactus liquescit, vapores flavos emittit, tum paullum carbonescit, postremo deflagrat.

Argentum nitricum crystallisatum.

Crystalli tabulaeformes, pellucidae, decolores, facillime in aqua, difficilius in spiritu vini solubiles.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, acido hydrochlorico mixta, emittit sedimentum copiosum album, quod ammonia abundante facile, sine ullo colore limpide solvitur.

Solutio aquosa (1 : 10), cum quadruplo volumine acidi sulfurici diluti mixta et ad ebullitionem calefacta, ne turbetur, neque baryo nitrico plus quam levem opali nitorem ostendat; acido hydrochlorico praecipitata et

filtrata liquorem praebeat, cujus pars una nec ammonia abundanti, nec aqua hydrosulfurata addita coloretur aut turbetur, pars altera ad siccum evaporata residuum nullum relinquat.

Servetur luce remotum.

Argentum nitricum fusum.

Lapis infernalis.

Rpe: **Argenti nitrici crystallisati** q. v.
calefiat in vase porcellaneo, donec massa olei instar fluxerit, haec effundatur in modulum ferreum bene mundatum ac tepefactum, qui bacillorum formas habet.

Bacilli refrigrati sint albi vel cinerescentes, fracturae radiatae crystallinae et omni modo erga reagentia se habeant, ut argentum nitricum crystallisatum.

Servetur in vase luci impervio.

Argentum nitricum cum Kalio nitrico.

Lapis infernalis mitigatus.

Rpe: **Argenti nitrici crystallisati** *grammata decem* 10
Kalii nitrici *grammata viginti.* 20

Intime mixta, in vase porcellaneo caute liquata, in bacillorum formam funde.

Bacilli albi, duri, fracti superficiem crystallinam vix praebeant.

Gramma unum in viginti centimetris cubicis aquae destillatae solutum et cum centigrammis undecim (0·110 grm.) natrii chlorati aqua soluti calefaciendo mixtum, liquorem praebeat, qui filtratus, argento nitrico addito, non amplius turbetur.

Asa foetida.

Gummi-resina Asa foetida.

Ferulae species, inprimis *Ferula Scorodosma* Bentham et Hooker et *Ferula Narthex* Boissier, Persiam et regiones adjacentes Asiae inhabitantes. *Umbelliferae.*

Succus gummi-resinosus e radice vulnerata, resecto caule, effluxus, aëre induratus, sistit aut grana laevia, non raro leviter compressa, variae magnitudinis, discreta aut inter se conglutinata, plerumque autem massas irregulares ampliores, extrinsecus coloris flavo-fusci, partim violacei, in fractura conchata lacteas, opalinas, cerae instar nitentes, mox purpurascentes, tandem fuscescentes, sub digitis lentescentes, in fragmentis tenuibus subpellucidas, odoris penetrantis alliacei persistentis, saporis acris, amaricantis.

Cum aqua trita Asa foetida emulsionem albidam praebet. Acido hydrochlorico ne valde effervescat, sensim colorem belle viridem induit. Combusta ne plus quam ex partibus centum partes decem cineris relinquat.

Pulvis lutescens, frigore ex Asa foetida obtentus et ab immixtis quisquiliis ope cribri setacei ad hoc destinati purgatus, servetur loco sicco et sat frigido.

Atropinum sulfuricum.

Pulvis crystallinus, albus, facile in aqua, spiritu vini, omnino non in aethere et chloroformio solubilis.

Solutio aquosa est reactionis neutrius, millies adhuc diluta saporis ammari, nauseam moventis, pupillam dila-

tat. Magis concentrata (1:20) guttis nonnullis solutionis kalii hydrooxydati turbetur, non vero ammonia sive ammonio carbonico.

Exigua portio Atropini sulfurici, guttis aliquot acidi nitrici fumantis mixta, atque in balneo aquae siccata, residuum exhibet, quod refrigeratum cum gutta una solutionis spirituosae kalii hydrooxydati extemplo colore violaceo in rubrum transeunte inficitur.

Milligramma unum Atropini sulfurici in tubulo vitreo usque ad evolutionem vaporis albi fervefactum et, grammate uno et dimidio acidi sulfurici concentrati adjecto, rursus, donec furvescere incipiat, calefactum, emittit, si grammata duo aquae addideris, odorem suavem, maxime peculiarem, qui crystallulo kalii hypermanganici injecto in odorem olei amygdalarum amararum aetherei transit.

Axungia Porci.

Adeps suillus.

Axungia porci venalis purgetur liquefactione cum aqua calida. Elota et ab aqua temperatura 100° vix excedenti inter agitationem perpetuam liberata sit albissima, fere inodora, saporis blandi, non rancidi et consistentiae unguenti mollis.

Spiritus vini fervidus cum ea conquassatus, tum refrigeratus et aequali parte aquae dilutus, chartam exploratoriam ne mutet.

Axungia Porci benzoata. Ceratum fuscum. Sapo medicinalis. Emplastra. Unguenta.

Axungia Porci benzoata.

Rpe:	**Axungiae Porci**	*grammata ducenta*	200
	Benzoës pulveratae	*grammata octo.*	8

Digerentur in balneo aquae per duas horas, tum colentur.

Unguentum Zinci oxydati.

Balsamum Copaivae.

Copaiferae species, inprimis *Copaifera officinalis* Linn. et *Copaifera Guianensis* Desfontaines, arbores Americae meridionalis tropicae. *Leguminosae. Caesalpinaceae.*

Balsamum naturale e truncis arborum vulneratis effluens. Liquor olei pinguis consistentiae, limpidus, flavus aut e flavo subfuscus, ponderis specifici 0·94—0·99, odoris peculiaris balsamici, saporis cum aliqua acredine amaricantis.

Limpide solvatur in spiritu vini concentrato, aethere, chloroformio et carboneo sulfurato. Lente calefactum ne Oleum Terebinthinae redoleat. In balneo aquae evaporatum resinam laete fuscam, limpidam, post refrigerationem solidam, fragilem, amorpham relinquat.

Balsamum Peruvianum.

Toluifera Pereirae Baillon, arbor in montanis civitatis San Salvador Americae centralis. *Leguminosae. Papilionaceae.*

Liquor syrupi instar lentus, non glutinosus, tactu unguinosus, coloris e nigro fusci, in stratis tenuioribus fusco-rubri, limpidus, pellucidus, ponderis specifici 1·14—1·16, reactionis acidae, in aëre non siccescens, odoris grati

vanillacei, aliquantulum empyreumatici, saporis acris, subamari.

Solvitur limpide in aequali pondere spiritus vini concentrati. Balsami partes tres partem unam carbonei sulfurati absorbent, quin turbentur, verum octo aliis partibus ejus additis, resina e fusco nigra praecipitatur. Liquor inde effusus limpidus. fusco-flavus, nullo modo fluorescat. Solutio Balsami in benzino exhalatione spontanea residuum oleaceum subflavum praebet, quod, leniter calefactum, neque Terebinthinam, neque Styracem, neque Balsamum Copaivae redoleat. Balsami guttae decem, cum acidi sulfurici concentrati guttis viginti contritae, mixtionem praebeant aequabilem, tenacem, coloris cerasini, quae paulo post aqua frigida eluta, residuum resinosum, frigore fragile relinquat. Cum aqua destillatum Balsamum Peruvianum ne praebeat oleum aethereum.

Emplastrum Anglicanum. Emplastrum Cantharidum Mixtura oleoso-balsamica.

Balsamum Tolutanum.

Toluifera Balsamum Linn., arbor indigena in America meridionali, praesertim in civitate Nova-Granatensi. *Leguminosae. Papilionaceae.*

Massa vel semifluida, terebinthinae consistentiae, viscida, flava aut rubro-fusca, vel, per longius tempus reposita, solida, resinosa, friabilis, pellucida, calefacta emollescens, odoris Balsami Peruviani suavissimi, saporis subdulcis cum levi acredine.

Sit solubilis in spiritu vini concentrato, chloroformio et in kalio hydrooxydato soluto, sed non solubilis in benzino et in carboneo sulfurato.

Benzoë.

Resina Benzoë.

Styrax Benzoïn Dryander, arbor praesertim in Sumatra indigena et culta. *Styraceae.*

Succus resinosus, sponte vel facta arboris vulneratione profunda effluens, aëre induratus, sistit grana rotundato-angulata, quoad magnitudinem inaequalia, sed plerumque ampliora, usque ad nonnulla centimetra in diametro resinae solidae, coloris in fractura recenti conchata lactei, cerae instar nitentis, quae substantia exigua, partim porosa, aspera, friabili, adiposo-nitente, coloris e subrubro-grisei vel griseo-fuscescentis, in fragmentis tenuibus diaphana, in massas irregulares concreta sunt.

Est Benzoë odoris gratissimi vanillacei. In spiritu vini leni calore fere ex toto solvitur. Solutio filtrata cum aqua liquorem lacteum reactionis acidae praebet.

Tinctura. Axungia Porci benzoata.

Bismuthum subnitricum.

Magisterium Bismuthi.

Rpe: **Bismuthi subtiliter pulverati** *grammata ducenta* 200
Kalii nitrici *grammata viginti* 20

intime mixta in crucibulo, calore sensim aucto, liquescant et saepius agitando per quadrantem horae fluant. Metallum liquefactum in aquam effusum a scoriis separetur.

Hujus metalli purgati ruditer pulverati *grammata centum* 100

sensim ingerantur in cucurbitam quae continet:

Acidi nitrici concentrati *grammata ducenta et sexaginta.* 260

Languescente solutione vim acidi calefaciendo auge, usque dum ebulliat.

Liquor partus filtretur et misceatur cum

Aquae destillatae temperatura 40° *grammatum sex millibus.* 6000

Praecipitatum inde ortum, filtro collectum atque

Aquae destillatae temperatura 15° *grammis quingentis* 500

lotum, inter chartam bibulam exprimatur et loco frigido umbroso siccetur.

Pulvis crystallinus, albus, reactionis acidae, in tubulo vitreo calefactus, vapores primo aqueos post nitricos emittit et residuum flavum Bismuthi oxydati relinquit, kalio hydrooxydato soluto addito calefactus ammoniam ne exhalet.

In acido nitrico diluto absque effervescentia solvatur. Haec solutio, parva aquae destillatae portione diluta, nec argento nitrico, nec baryo nitrico, nec acido sulfurico diluto mutetur.

Bismuthum subnitricum acido sulfurico diluto limpide solvatur, ammonia abundans in hac solutione sedimentum album gignat, liquor ab eo filtratus sit decolor et aqua hydrosulfurata ne turbetur.

Gramma praeparati, cum acido sulfurico usque ad extricationem vaporum acidi sulfurici calefactum, massam praebeat, quae in apparatu Marshii tentata ne vestigium speculi arsenici exhibeat.

Bolus alba.

Massa terrea, alba, impellucida, friabilis, humectata subtenax, in aqua sensim in pulverem dilabens nec vero solubilis.

Acido hydrochlorico superfuso ne effervescat neve aqua expurgata arenam relinquat.

Bulbus Scillae.

Scilla maritima Linn., planta bulbosa in litoribus Europae mediterraneae frequens. *Liliaceae.*

Tunicae bulbi recentis, autumno collecti, intermediae pallide rubiginosae, carnosae, viscoso-mucilaginosae, rejectis extimis aridis, chartaceis, rubro-fuscis aeque ac internis, placentam ambientibus, concisae, sedulo siccatae subcorneae, fragiles, diaphanae, rubicundae, saporis nauseosi, mucilaginosi, acris et peramari.

Caute serventur in vasis exacte clausis et pulvis coloris rosei aut carnei nonnisi exigua quantitate paratus prostet.

Acetum. Extractum.

Calcium carbonicum nativum.

Creta alba.

Eligatur albissima non nimiam terrae siliceae vel aluminae admixtae copiam tenens. Acido hydrochlorico sub effervescentia fere ex toto solvatur.

Unguentum sulfuratum.

Calcium carbonicum praecipitatum.

Pulvis albus, crystallinus, subtilissimus, in aqua fere insolubilis, in acido acetico diluto cum effervescentia perfecte solvendus; solutio acetica, cum ammonio oxalico tentata, sedimentum album crystallinum efficit.

Cum aqua destillata quassatus liquorem praebeat, qui filtratus nullam vel nonnisi exiguam reactionem alcalinam exhibet et ad siccum evaporatus paululum dumtaxat residui relinquit.

Solutio aquosa ope acidi hydrochlorici effecta, aqua hydrosulfurata ne mutetur et superaddita ammonia ac ammonio sulfurato sedimentum ne deponat.

Pulvis dentifricius albus.

Calcium carbonicum purum.

Pulvis albus, crystallinus, subtilissimus, saporis expers, in aqua insolubilis, cui, si cum ea quassaveris, reactionem alcalinam ne tribuat, neve quid solubile cedat.

Solutio cum quinquaginta partibus aquae destillatae et sufficiente quantitate acidi hydrochlorici parata, dein ammonia saturata, cum ammonio oxalico excedente largum praecipitatum efficit. Liquor, a sedimento filtratione separatus, natrio phosphorico et post longius temporis intervallum ne turbetur.

Calcii carbonici solutio hydrochlorica aqua hydrosulfurata ne turbetur, neve ammonia adjecta addito ammonio hydrosulfurato praecipitatum deponat aut viridem colorem induat.

Solutio aquosa (1:50), ope acidi nitrici diluti parata, limpida maneat sive ei baryum nitricum, sive argentum nitricum addideris.

Calcium hypochlorosum.

Calcaria chlorata.

Pulvis albus, chlorum redolens, saporis acerbi, humorem adtrahens, in aqua ex parte, in acidis, chloro largiter emisso, fere ex toto solubilis.

Contineat in centum partibus partes minimum viginti (20) chlori activi, inde color solutionis indigo-carmini caeruleus in viridem sive flavo-fuscum mutetur, si ejus duas tresve guttas instillaveris misturae paratae ex

Calcii hypochlorosi	*grammate uno*	1
Aquae destillatae	*grammis centum*	100
Acidi arsenicosi in acido hydrochlorico diluto s. q. soluti	*milligrammis ducentis septuaginta quinque.*	0·275

Servetur vase vitreo, bene siccato, clauso et lucis accessu remoto.

Calcium oxydatum.

Calcaria caustica.

Eligantur frusta densa, quam maxime alba, aquam sitientia, quae dimidia ponderis parte aquae conspersa magnopere fervent et in pulverem dilabuntur; cum tribus usque quatuor partibus aquae pultem spissam efformant, in acido hydrochlorico nonnisi paulum effervescentem et maxima ex parte solubilem.

Aqua Calcis. Calcium oxysulfuratum.

Calcium oxysulfuratum.

Rpe: **Calcii oxydati** *grammata triginta* 30
in frustula contusa inspergantur
Aquae *grammatibus viginti.* 20
Calci extinctae tum admisce
Sulfuris sublimati *grammata sexaginta.* 60

Mixta in vase optime clauso reconde.

Quodsi exposcitur:

Calcium oxysulfuratum solutum (Solutio Vlemingkx),
Hujus misturae *partes tres*
sensim immittantur
Aquae bullientis *partibus viginti,*
et sub continua agitatione coquantur
ad colaturam *partium duodecim.*

Servetur in vase optime clauso.

Calcium phosphoricum.

Rpe: **Calcii carbonici praecipitati**
grammata centum 100
solve in
Acidi hydrochlorici concentrati
grammis trecentis 300
dilutis cum
Aquae destillatae *grammis trecentis.* 300

Post extricationem acidi carbonici liquori adde
Aquae Chlori *grammata quinquaginta.* 50

Mixtura calefiat donec odor chlori evanuerit, tum digere liquorem addendo

Calcii hydrooxydati *grammata decem* 10

per semihoram, dein filtra.

Filtrato limpido, acido acetico diluto acidulato, adde continue agitando solutionem ex

Natrii phosphorici *grammis trecentis sexaginta* 360

et

Aquae destillatae fervidae

grammatum duobus millibus 2000

paratam.

Sedimentum inde natum, post aliquot horas in linteum humidum collectum, aqua elue, donec liquor defluxus acido nitrico acidulatus, argento nitrico paullulum nonnisi opalescat, tum leniter calefactum siccetur et contritum servetur.

Pulvis albus, levis, crystallinus, in aqua insolubilis, in acido acetico frigido difficulter, in acidis, et hydrochlorico, et nitrico diluto, sine effervescentia prompte solubilis.

Solutio nitrica cum argento nitrico mixta et caute ammonia neutralisata, praecipitatum mere flavum, in excedente ammonia et in acido nitrico limpide solubile praebeat.

Solutio nitrica baryo nitrico ne mutetur, argento nitrico paulum nonnisi opalescat, ammonia abunde addita ammonio sulfurato sedimentum mere album efficiat. In apparatu Marshii tentatum speculi arsenici ne quidem vestigia prodat.

Calcium sulfuricum ustum.

Pulvis albus, amorphus, aqua temperatus pulmentum praebeat, quod brevi tempore durescit.

Servetur loco sicco.

Camphora.

Cinnamomum Camphora Nees et Ebermaier, arbor in China et Japonia indigena. *Lauraceae.*

Stearoptenum, e partibus arboris dissectis destillatione cum aqua obtentum et sublimatione purgatum, prostat in placentis orbicularibus concavo-convexis, in medio perforatis.

Substantia granuloso-crystallina, alba, in frustulis parvis decolor, diaphana, tactu et nitore pinguiusculo, fragilis et friabilis, inter dentes subtenax, saporis aromatici amaricantis, primum cum caloris, postea vero frigoris sensu, odoris peculiaris penetrantis, temperatura ordinaria lente quidem sed sine ullo residuo aufugiens, sublimatione praebens crystallos hexagonales nitentes.

In aqua Camphora vix solubilis, largiter in aethere, chloroformio et spiritu vini, quibus liquoribus humectata in pulverem redigi potest.

Oleum camphoratum. Spiritus camphoratus. Collyrium adstringens luteum. Emplastrum Minii. Emplastrum saponatum. Linimentum saponato-camphoratum.

Cantharides.

Lytta vesicatoria Fabricius, insectum in maxima Europae parte obvium. *Coleoptera.*

Animalia integra, sesqui fere ad tria centimetra longa, metallice ex aureo viridi splendentia, antennis filiformibus nigris, capite exserto, declinato, obtuse triquetro, subcordato, thorace obtuse quadrigono, scutello minuto subrotundo-cordato, elytris oblongis, angustis, laxis, tenui-

bus, mollibus, in corpore pilis tenerrimis sparsis obsessa, pedibus longis, tenuissimis, nigris, odoris penetrantis, gravis, virosi, saporis ab initio parum manifesti, deinde acerrimi.

Cantharides combustae cineris ex centum partibus ne plus quam octo partes relinquant.

Apud nos mensibus Junio et Julio, potissimum fraxinos, ligustra et syringas gregatim depascentes, colliguntur et bene exsiccatae in vasis optime clausis caute serventur.

Tinctura. Emplastrum Cantharidum ordinarium. Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Carbo Ligni depuratus.

Rpe: **Carbonis ligni Pini in frustis** *q. v.*

Excandescat in vase ferreo, bene tecto, tum refrigeratum, a cineribus depuratum et in pulverem tritum in vase bene clauso repone.

Pulvis dentifricius niger.

Carrageen.

Alga Caragen.

Chondrus crispus Lyngbye et *Gigartina mammillosa* Agardh, algae ad maris Atlantici litora frequentes. *Florideae. Gigartineae.*

Plantae siccatae thallo plano aut canaliculato, dichotomo, laciniis diversiformibus, nunc latioribus, nunc

angustioribus: linearibus vel cuneiformibus, ciliatis aut crispatis, cystocarpiis haemisphaericis adnatis aut clavatis magis prominentibus, cartilagineo, rigido, aqua humectato gelatinoso-carnoso, lubrico, coloris flavescentis, interdum e flavo rubescentis, saporis mucilaginosi.

Cum aqua coctum Carrageen liquorem mucilaginosum praebet, qui satis concentratus post refrigerationem in gelatinam coit.

Caryophylli.

Caryophyllus aromaticus Linn., arbor in insulis Moluccis indigena, nunc inter tropicos fere totius orbis culta. *Myrtaceae.*

Flores inexplicati siccati, hypanthio compressiusculo, obsolete tetragono, deorsum attenuato, decem ad quindecim millimetra longo, ad quatuor millimetra crasso, dense minutim rugoso, coloris ferruginei, laciniis calycis quatuor ovatis, concavis, patentibus, rigidis coronato, in superiore parte germen biloculare fovente, corolla tetrapetala clausa, petalis cohaerentibus in formam calyptrae rotundato-tetragonae coloris flavido-fusci, stamina plura et stylum subulatum operientis, odoris grate aromatici, saporis acris, aromatici. Tela periferica hypanthii ostendit in sectione transversa aut longitudinali sub lente cavernas amplas copiosas, oleo aethereo repletas.

Sint Caryophylli ponderosi, integri, coloris supra descripti, odoris et saporis vehementis, triti oleum aethereum sudantes.

Acetum aromaticum. Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum.

Castoreum.

Castoreum Canadense, C. Anglicum.

Castor Americanus Cuvier, animal Americam borealem habitans. *Mammalia. Rodentia.*

Folliculi inter anum et genitalia utriusque sexus positi, exsiccati oblongi vel oblongo-pyriformes, ex parte compressi, saepe duo inter se conjuncti, superficie plus minusve rugosi, nigro-fuscescentes, membranis instructi duabus exterioribus, arcte coalitis et difficulter separabilibus, integumentum tenue formantibus et duabus interioribus, lamellatim trajicientibus cavum, repletum massa subresinosa, in fractura nitenti, coloris e rubro fusci vel e fusco nigri, odoris peculiaris, saporis acri-aromatici, amariusculi, masticando dentibus adhaerenti, in spiritu vini et aethere pro magna parte solubili.

Tinctura.

Catechu.

Acacia Catechu Willdenow, arbor Indiae orientalis. *Leguminosae. Mimosaceae.*

Extractum aquosum siccum, in India orientali e duramine arboris obscure fusco paratum, sistit massas duras, solidas, fragiles, extrinsecus opacas, asperas, coloris obscure hepatici aut atro-fusci, in fractura conchata resinoso-nitentes, solummodo in particulis exiguis semipellucidas, sub microscopio crystallinas, saporis valde adstringentis, deinde dulciusculi.

Pulvis e griseo fuscus, cum aqua ad ebulliendum fervefactus, liquorem turbidum, laccam musci rubescentem, cum spiritu vini ebulliente solutionem limpidam, coloris

fusci praebet, quae aqua diluta, addito ferro sesquichlorato colorem viridem ducit.

Combustum Catechu cineris ne plus quam sex partes ex partibus centum relinquat.

Tinctura.

Caules Dulcamarae.

Stipites Dulcamarae.

Solanum Dulcamara Linn., suffrutex scandens indigenus. *Solanaceae.*

Caules biennes aut triennes, primo vere vel sero autumno collecti et siccati flexuosi, saepe torti, obsolete pentagoni, foliorum cicatricibus alternis notati, quatuor ad octo millimetra crassi, longitudinaliter sulcati et rugosi, plus minus lenticellis verrucosi, peridermate tenui facile separabili e subviridi vel e subfusco flavo, tenaces, plerumque fistulosi, saporis primum amari, deinde dulcis, diu faucibus inhaerentis.

Sectio transversa ostendit corticem angustum, viridem et lignum subflavum, radiatum, grosse porosum, medullae albae vestigia includens.

Cera alba.

Frusta fragilia in tenuiori strato diaphana, sub manus calore plastica, minime lubrica, calore circiter 64° liquescant, quin spumam ejiciant vel sedimentum deponant. Pondus specificum 0·965—0·970.

Ceram in globuli formam redactam, quae in spiritu vini ponderis specifici 0·955—0·960 bullis aëreis ad-

haerentibus priva, sub temperatura 15° non submergitur, adulterinam censeas.

Cum centenis partibus spiritus vini concentrati cocta liquorem praebeat, qui post refrigerationem filtratus chartam exploratoriam caeruleam aut prorsus non aut levissime nonnisi rubefacit et quadrupla quantitate aquae destillatae dilutus non turbidus evadit. Pars una Cerae, cum tricennis partibus spiritus vini diluti addita parte una natrii carbonici sicci cocta, liquorem praebeat, qui plane refrigeratus et filtratus, acido hydrochlorico praecipitatum ne efficiat.

Ceratum Cetacei. Emplastrum Cerussae. Empl. saponatum. Unguentum emolliens. Ung. Plumbi acetici. Ung. rosatum. Ung. simplex. Ung. Zinci oxydati.

Cera flava.

Sit frigore fracturae granulosae, parum tenax, sub manus calore mollescens, odoris mellei, sub temperatura 63 ad 64° liquescat, in partibus trecentis spiritus vini concentrati bullientis exiguo nonnisi residuo relicto solvatur, caeterum ut Cera alba se praebeat.

Ceratum fuscum. Emplastrum adhaesivum. Empl. Cantharidum. Empl. Conii. Empl. Diachylon compos. Empl. Meliloti. Empl. Minii. Empl. oxycroceum. Unguentum aromaticum. Ung. Juniperi.

Ceratum Cetacei.

Rpe: **Cerae albae**
Cetacei
Olei Amygdalarum *āā grammata centum.* 100

Leni igni colliquefacta et colata effunde in capsulas chartaceas.

Ceratum sit coloris albi, minime rancidum.

Ceratum fuscum.

Rpe: **Emplastri Diachylon simplicis**	*grammata ducenta et quinquaginta.*	250

Calefiat sub continua agitatione, donec massa colorem nigro-fuscum acceperit, dein adde

Cerae flavae	*grammata centum*	100
Axungiae Porci	*grammata centum et quinquaginta.*	150

Humore consumpto effunde in tabulas.

Cetaceum.

Catodon macrocephalus Lacepède et aliae species generum *Catodon* et *Physeter,* incolae praesertim oceani pacifici. *Mammalia. Natantia. Catodontida.*

Pars solida depurata substantiae semiliquidae pinguis sui generis, in cavis amplissimis capitis ductibusque subcutaneis dorsalibus contentae.

Occurrit in massis lamelloso-crystallinis, coloris albissimi, conchae unionum instar nitentibus, subpellucidis, tactu lubricis, friabilibus, ponderis specifici 0·94 usque 0·95, calore circa 50° liquescentibus, fere inodoris et insipidis, in aethere et in spiritu vini ebulliente solubilibus.

Cetaceum flavum, rancidum rejiciatur.

Ceratum. Unguentum emolliens.

Chininum bisulfuricum.

Chininum sulfuricum neutrum.

Crystalli prismaticae, albae, nitidae, saporis amari, in aëre paululum fatiscentes, aqua destillata facilius quam in spiritu vini solubiles. Solutio aquosa, reactionis acidae, colore caeruleo fluorescit.

Solutio aquosa diluta, aqua chlori et dein ammonia addita colorem viridem induit, baryo nitrico soluto praecipitatum album, in acidis insolubile deponit; argento nitrico ne turbetur.

Chininum bisulfuricum acido sulfurico vel acido nitrico concentrato humectatum ne coloretur.

Quodsi decigramma unam (0·100) salis in quinquaginta centimetris cubicis (50 CC) aquae destillatae solvitur, quinque centimetra cubica (5 CC) hujus solutionis ad summum requirant centimetra cubica quatuor (4 CC) ammoniae, ut sedimentum primo enatum rursus ex integro solvatur.

Servetur vase a luce remotum.

Chininum ferro-citricum.

Rpe: **Acidi citrici** *grammata sexaginta* 60

solve in

Aquae destillatae *grammatum quinque millibus* 5000

adde

Ferri pulverati *grammata triginta.* 30

Miscellam digere saepius agitando in balneo aquae, donec reactio cessat. Liquidum adhuc calidum filtra et ad consistentiam syrupi tenuioris evapora. Refrigerato

admisce Chinini recentis parati adhuc humidi et bene loti, quod ex

Chinini sulfurici *grammis tredecim et dimidio* 13·5

ope acidi sulfurici in aqua destillata solvendo et natrio hydrooxydato soluto praecipitando obtinuisti.

Solutione peracta liquidum, in patina porcellanea tenuioribus stratis illitum, leni calore ab luce remotum sicca.

Lamellae nitidae, diaphanae, coloris e rubro fusci, saporis amari ferruginei, in aqua lente quidem sed omni proportione, in spiritu vini paullum solubiles.

Solutio aquosa kalio-ferrocyanato praecipitatum caeruleum demittit; quodsi cum solutione aquosa, additis guttis nonnullis natrii hydrooxydati, aether aequali volumine conquassando miscetur et ab strato aquoso sejunctus ad siccum evaporatur, residuum, quod exstat, in aqua acido hydrochlorico acidulata solutum, aqua chlori succedente ammonia colore viridi inficitur.

Servetur a luce remotum.

Chininum hydrochloricum.

Crystalli aciculares, albae, nitoris sericei, saporis amari, in aquae partibus circiter 34, multo facilius in spiritu vini nec non in chloroformio solubiles. Solutio aquosa, reactionis neutrius, non fluorescit, addita aqua chlori et ammonia colorem viridem trahit, cum argento nitrico praecipitatum album efficit, ita quidem, ut decigrammata duo salis in centimetris cubicis decem aquae destillatae soluta, adjectis aliquot guttis acidi nitrici, centimetra cubica quinque solutionis argenti nitrici volumetrici

consumant et liquor ad ebullitionem calefactus et tum filtratus nec argento nitrico nec acido hydrochlorico aliquanto plus turbetur.

Chininum hydrochloricum, cum acido nitrico sive cum ferro sesquichlorato humectatum, colorem ne mutet, supra lamina platinea fervefactum perfecte comburat.

Solutio aquosa acido hydrochlorico acidulata nec baryo nitrico turbetur, nec acido sulfurico diluto mutetur.

Chininum sulfuricum.

Chininum sulfuricum basicum.

Crystalli aciculares, tenuissimae, molles, sericeo-nitentes, saporis valde amari, in aëre sicco fatiscentes, aëre humido humorem attrahentes. In spiritu vini fervido haud difficulter, in aqua fervida minus facile, in frigida difficillime solvuntur.

Solutio aquosa, nullius aut non acidae reactionis, gutta una acidi sulfurici admixta, colore caeruleo fluorescit.

Quodsi solutioni aquosae, frigore saturatae, paululum aquae chlori ac dein ammoniam instillaveris, color viridis enascitur. Solutio aquosa baryo nitrico admixto sedimentum album, in acidis insolubile emittit, argento nitrico ne mutetur.

Chininum sulfuricum acido sulfurico sive nitrico concentrato humectatum ne coloretur.

Gramma unum salis in centimetris cubicis septem mixturae, ex volumine uno spiritus vini absoluti et voluminibus duabus chloroformii compositae, sub temperatura 40—50° solutum, liquorem praebeat, qui vel refrigeratus plane limpidus permanet.

Grammata duo Chinini sulfurici infundantur centimetris cubicis viginti aquae destillatae et continuo agitando calefiant in balneo aquae ad temperaturam circiter 60°. Miscella seponatur per horam, dein in aquam frigidam immersa per semihoram refrigeretur ita, ut temperatura neque 15° superat, neque infra 15° recedat. Iam filtro sicco filtretur. Liquoris filtrati centimetra cubica quinque sensim misceantur cum centrimetris cubicis septem et dimidium (7·5 CC) ammoniae. Sedimentum primitus enatum ammoniae quantitate consumta plane solvatur ita, ut liquor limpidus evadat nec flocci non soluti remaneant,

Chininum sulfuricum calore 100° siccatum ne plus quam quindecim partes centesimas ponderis sui perdat. In lamina platinea sine residuo comburat.

Chininum tannicum.

Rpe: **Chinini sulfurici** *grammata decem* 10
solve in
Acidi sulfurici diluti *grammis sex* 6
Aquae destillatae *grammis trecentis.* 300
Solutionem filtratam misce cum
Acidi tannici *grammis viginti tribus* 23
solutis in
Aquae destillatae *grammis centum quinquaginta.* 150

Stet in loco frigido. Praecipitatum ortum in filtro collectum cum
Aquae destillatae *parva quantitate*
elue, leni calore 30° non excedente sicca et in pulverem contritum serva.

Pulvis griseo-albus vel flavescens, inodorus, saporis styptici, modice amari. Solvitur in triginta circiter partibus aquae bullientis, in octingentis frigidi, facile in spiritu vini. Pulvis aqua calefactus conglobatur.

Solutio aquosa ferro sesquichlorato colorem atramentaceum induit. Solutio spirituosa, digestione cum plumbo acetico basico ab acido tannico et a plumbo excedente acido sulfurico diluto liberata, liquorem filtratum praebeat, quod spiritu vini evaporatione depulso cum aqua chlori succedente ammonia viridem colorem induit.

Ignitum sine residuo comburat.

Chloralum hydratum.

Crystalli pellucidae, decolores, aëre persistentes, reactionis neutrius vel fere neutrius, odoris peculiaris aromatici, saporis acerbi subamari, in aqua, spiritu vini et aethere facile solubiles, calore 58° liquescentes, fervefactae avolant, quin gas inflamabile emittatur.

Solutio aquosa kalio hydrooxydato adjecto turbetur, chloroformio succedente rursus fit limpida; argento nitrico vix mutetur.

Acido sulfurico concentrato admixto leniter calefactum Chloralum hydratum neque vapores hydrochloricos emittat, neque colorem fuscum recipiat.

Servetur vase luci impervio, loco sicco.

Chloroformium.

Liquor limpidus, decolor, odoris specialis, saporis subdulcis, ponderis specifici 1·485—1·50, calore 60 ad

62° ebulliens, in aqua perpaulum, in spiritu vini, aethere et oleis pinguibus facile solubilis.

Chloroformium in tubo probatorio cum solutione spirituosa kalii hydrooxydati et anilino sulfurico calefactum odorem penetrantem et insuavissimum excitat.

Chloroformium e palma manus celeriter avolet, nec odorem animam intercludentem, vel empyreumaticum vel fermentolei similem relinquat; cum duplici volumine aquae destillatae conquassatum, aqua nec solutionem laccae musci rubefaciat, nec solutionem argenti nitrici turbet. Cum solutione aquosa kalii jodati quassatum colorem violaceum ne induat; cum aequali volumine acidi sulfurici concentrati in tubo probatorio probe siccato conquassatum intra unam horam decolor permaneat.

Servetur in lagena optime clausa a luce remotum.

Cocainum hydrochloricum.

Pulvis crystallinus albus, vel crystalli aciculares, decolores, saporis subamari, indolentiam linguae brevi tempore persistentem cientes, in aqua, spiritu vini, aethere et chloroformio facile solubiles, reactionis neutrius.

Centigrammata quinque, in tubo probatorio cum centimetro cubico uno acidi sulfurici concentrato mixta, sine ullo colore solvantur; liquor per duas tresve minutas ad temperaturam 100—150° fervefactus ac tum in tria, vel quatuor centimetra cubica aquae infusus, mox emittit crystallos acidi benzoici, dum liquor levem quidem sed suavem odorem recipit.

Centigramma Cocaini hydrochlorici in quinque decigrammis aquae solutum rubrum colorem per breve tempus induit, si gutta una solutionis kalii hypermanganici (1 : 1000) admiscetur, tribus vel quatuor guttis additis idem color longius tempus persistit, quin manganum hyperoxydatum demittatur. Solutio concentrata, cum gutta una solutionis kalii hypermanganici (1 : 100) mixta, statim sedimentum microcrystallinum, violaceum Cocaini hypermanganici deponit.

Solutio aquosa Cocaini, addita una gutta ferri sesquichlorati, colorem trahat luteum, minime ex subcaeruleo viridem aut caeruleum.

Solutiones Cocaini mox decomponuntur, hinc nonnisi ad dispensationem parentur et loco frigido serventur.

Cofféinum.

Crystalli aciculares longae, flexibiles, serici nitorem exhibentes, decolores, calefactae liquescunt et sine residuo evaporant, facile solvuntur in aqua fervida, difficulter in frigida, facilius in chloroformio, minus facile in spiritu vini, parum in aethere. Solutio aquosa, reactionis neutrius, est saporis subamari. Cofféinum, in aqua chlori solutum et solutione in balneo aquae exsiccata, residuum ex rutilo flavum exhibeat, quod vaporibus ammoniae expositum aut ammonia humectatum in colorem purpureum transit.

Acido sulfurico concentrato humectatum Cofféinum ne coloretur.

Collodium.

Liquor syrupi consistentiae, reactionis neutrius, decolor, aetherem redolens, in strata tenuia illinitus, aëre cito exsiccatus, cuticulam arcte cohaerentem relinquit.

Collodium elasticum.

Collodium elasticum.

Rpe: **Collodii** *grammata quadraginta novem* 49
Olei Ricini *gramma unum.* 1

Misce.

Collyrium adstringens luteum.

Rpe: **Ammonii chlorati** *decigrammata quinque* 0·50
Zinci sulfurici *gramma unum et centigrammata viginti quinque* 1·25

solve in

Aquae destillatae *grammis ducentis* 200

adde

Camphorae *decigrammata quatuor* 0·40

soluta in

Spiritus Vini diluti *grammis viginti* 20

adde

Croci *decigramma unum.* 0·10

Digere per viginti quatuor horas saepius agitando. Filtra.

Colophonium.

Pini species, inprimis *Pinus Laricio* Poiret et *Pinus silvestris* Linn., arbores indigenae notissimae. *Coniferae*, *Abietineae*.

Resina oleo Terebinthinae ex toto liberata. Massa dura, fragilis friabilisque, fractura laticonchata, splendore fere vitreo, colore vulgo flavo-fusco, limpida, pellucida, amorpha.

In balneo aquae Colophonium liquorem tenacem limpidum efficit, qui magis fervefactus vapores ponderosos albos, odoris balsamici emittit. Calore 60° in pondere aequali et spiritus vini et acidi acetici lente solvitur.

Emplastrum adhaesivum. Emplastrum Diachylon compositum. Emplastrum Meliloti. Emplastrum oxycroceum.

Cortex Cascarillae.

Croton Eluteria Bennett, frutex arborescens in insulis Antillanis, praesertim Bahamensibus crescens. *Euphorbiaceae*.

Cortex trunci et ramorum siccatus sistit fragmenta convoluta aut canaliculata, plerumque minus quam decimetrum longa et centimetrum lata, unum ad duo millimetra crassa, peridermate tenui, extus vulgo candicante, rimis decussatis sulcato, saepe jam partim delapso, cortice locis denudatis coloris e griseo vel subviridi fusci, pariter rimoso aut longitudinaliter rugoso, fractura aequali, odoris peculiaris aromatici, saporis amari et aromatici. Accensus cortex fumum spargit Moschi odore gravem. In sectione

transversa exhibet stratum interiorem subtilissime radiatim striatum, radiis in fasciculos cuneatos congestis.

Ligni fragmenta merci intermixta ante usum removeantur.

Tinctura.

Cortex Chinae.

Cinchonae species cultae, inprimis *Cinchona succirubra* Pavon. *Rubiaceae.*

Frusta convoluta, tria ad quatuor decimetra et ultra longa, duo ad quatuor millimetra crassa, dura, fragilia, fractura aequali aut breviter subfibrosa, in latere exteriore peridermate tenui albo-griseo aut griseo-subfusco, grosse longitudinaliter rugoso et saepe transverse rimoso obtecta, sub peridermate fusca, in latere interiore cinnamomea aut fusco-rubra, subtiliter striata, microscopio dignoscenda fibris libri plerumque fusiformibus, sat brevibus, perfecte incrassatis et induratis, radiatim per endophloeum dispersis. Saporis est amari et adstringentis.

Pulvis corticis e rubro-fuscus, in tubulo vitreo candefactus, picem liquidam pulchre coccineam et tentamini sequenti chemico subjectus, basium propriarum non minus quam in centum partibus tres et dimidiam praebeat.

Grammata viginti Corticis Chinae pulverati in cucurbita noti ponderis misceantur cum viginti quatuor grammis calcii hydrooxydati recenter parati et cum grammis quadringentis spiritus vini concentrati. Pondere cucurbitae una eorum quae insunt trutina examinato et notato, cucurbita cum apparatu refrigeratorio apte juncta exponatur calore balneo vaporis per horam saepius

agitando, tum refrigeretur et pondus ejus iterum trutina examinetur. Pondus quod deest restituatur, addendo spiritum vini concentratum in sufficienti quantitate. Liquor a sedimento defusus filtretur. Filtrati grammata ducenta, quae solubilia grammatum decem corticis adhibiti continent, misceantur cum quadraginta centimetris cubicis aquae destillatae et grammate uno acidi tartarici et in balneo aquae calefiant ad spiritus vini perfectam evaporationem. Residuo refrigerato admisce centimetra cubica viginti aquae destillatae. Solutionem filtra in lagenam bene claudendam et filtro parva quantitate aquae plane eloto, liquori obtento adde natrium hydrooxydatum solutum, donec reactio evadit alcalina et praecipitatum non amplius oritur, demum centimetra cubica quinquagena aetheris. Lagena bene obturata, liquores conquassando misceantur, ut praecipitatum in aethere solvatur. Solutionem aethereum alcaloidea Chinae continentem ab aquosa separa, hanc binis vicibus eadem aetheris quantitate extrahe, liquores aethereos commixtos in patina noti ponderis collige. Aethere evaporato residui sub temperatura 100° siccati pondus trutina exploratum decies auctum indicat, quot partes centesimae alcaloidearum in cortice Chinae adsint.

Extractum. Tinctura Chinae composita. Vinum. Pulvis dentifricius niger.

Cortex Cinnamomi.

Cinnamomum Cassia Blume, arbor speciosa Chinae meridionalis. *Lauraceae.*

Cortex ramorum maxima ex parte peridermate liberatus et siccatus. Tubi vel semitubi ad tria centimetra et ultra

ampli, unum ad tria millimetra crassi, duri, fragiles, fractura aequali, coloris rubro-fusci, opaci, extrinsecus plerumque passim residuis peridermatis grisei, odoris peculiaris grate aromatici, saporis acris aromatici, subdulcis et adstringentis, postremo mucilaginosi.

Ope microscopii inprimis observabis in tela intima mesophloei stratum haud continuum e cellulis sclerenchymaticis, fibras fusiformes, tenues, laeves, complete incrassatas, per librum radiatim dispersas, utriculosque copiosos et mucilagine et oleo aethereo repletos in parenchymate amylum compositum gerente.

Aqua Cinnamomi simplex et spirituosa. Syrupus. Tinctura. Aqua aromatica spirituosa. Decoctum Sarsaparillae compositum mitius. Electuarium aromaticum. Species amaricantes. Spiritus aromaticus. Tinctura Absinthii composita.

Cortex Condurango.

Gonolobus Condurango Triana, frutex scandens Andium Americae aequatorialis. *Asclepiadaceae.*

Cortex trunci ramorumque siccatus occurrens in frustis convolutis et canaliculatis, levibus, unum ad tria centimetra latis, unum ad quinque millimetra crassis, obtectis peridermate griseo-subfusco aut fusco, longitudinaliter rugoso aut, ut in validioribus, verrucoso-rimoso, subsquamoso vel subtesselato, in latere interiore griseo-subfuscis, grosse striatis, in fractura fibrosis aut subgranulatis, in sectione transversa albidis, maculis aut punctis flavo-fuscis ornatis et in intima parte vix manifeste radiatim striatis. Ope microscopii inveniuntur copiosae

cellulae sclerenchymaticae aggregatae vasaque lactifera in parenchymate foeto partim amylo composito, partim crystallis calcii oxalici stellatis. Saporis est cortex subamari.

Cortex Frangulae.

Rhamnus Frangula Linn., frutex indigenus. *Rhamnaceae.*

Cortex ramorum siccatus in tubis ad tria decimetra longis, circiter unum millimetrum crassis, levibus, peridermate facile separabili, extrinsecus coloris e griseo-fusci, subnitido, subtiliter per longitudinem rugoso et lenticellis albidis, plerumque transverse porrectis instructis, in superficie interna laevibus, e rubro fuscis, in fractura tenacibus, fibrosis, flavis, in sectione transversa sub lente libro flavo, fasciculis fibrarum subgriseis radiatim striato. Saporis est cortex subamari, salivam flavo colore tingens. In aqua calcis maceratus intus colorem belle rubrum trahit.

Cortex Fructus Aurantii.

Flavedo corticis Aurantii.

Citrus vulgaris Risso, vide: *Folia Aurantii.*

Pericarpium e fructibus maturis in segmentis plerumque ellipticis detractum et siccatum, constans e strato exteriore tuberculato-rugoso, e rubro fuscescenti, scatente lacunis oleo aethereo repletis, valde aromatico et amaro, et e strato interiore albo, spongioso, subamaro, quod removendum est.

Syrupus. Tinctura. Aqua carminativa. Species amaricantes. Tinctura Absinthii composita. Tinctura amara. Tinctura Chinae composita. Tinctura Rhei vinosa.

Cortex Fructus Citri.

Flavedo corticis Citri.

Citrus Limonum Risso, arbor in regionibus calidis totius orbis culta. *Rutaceae. Aurantieae.*

Pericarpium e fructibus maturis plerumque in taeniis spiralibus detractum et siccatum constans e strato exteriore tuberculato-rugoso, e subfusco flavo, lacunis oleo aethereo repletis scatente, aromatico, subamaro et ex strato interiore spongioso, albo, inodoro et fere insipido, quod removendum est.

Aqua carminativa. Decoctum Sarsaparillae compositum mitius. Spiritus aromaticus.

Cortex Granati.

Punica Granatum Linn., arbor in Oriente spontanea, in Europa meridionali culta. *Myrtaceae.*

Cortex trunci et ramorum siccatus. Frusta canaliculata aut convoluta usque ad duo decimetra longa, unum ad duo millimetra crassa, levia, fragilia, in fractura aequali subflava, in latere exteriore subgrisea, per longitudinem rugis suberinis elevatis flavo-fuscis trajecta et plerumque apotheciis parvis, nigris residuisve thalli lichenum instructa, in latere interiore laevia, flava aut rubro-fusca, in sectione transversa sub lente lineis tenerrimis tessellata.

Cortex radicis, etiam adhibendus, saepius mixtus cortici trunci ramorumque in mercatura occurrens, dignoscendus est frustis communiter minoribus subplanis, non raro recurvatis et superficie interna assula ligni ad-

haerente instructis, in latere exteriore fuscis, asperis, ex omni parte vestigiis lichenum carentibus, singulis validioribus depressionibus subconchoideis, per exfoliationem suberis ortis.

Saporis est cortex adstringentis, subamari.

Extractum.

Cortex Quebracho.

Aspidosperma Quebracho Schlechtendal, arbor frequens in provinciis occidentalibus Argentinae. *Apocynaceae.*

Cortex trunci siccatus in frustis magnis, ad tria centimetra crassis, subplanis, duris, ponderosis, obtectis rhitidomate validissimo, rimis hiantibus profundis saepe tessellatim lacerato, coloris flavo-fusci, extus passim albicantis, in latere interna longitudinaliter striato plerumque clare e rubicundo-aut flavido-fusci, fractura grosse-granulata, saporis amari.

In sectione transversa apparent duo strata, rhitidomatis et endophloei, illud coloris clarioris flavo-fusci, hoc obscurioris rubro-fusci, utraque crassitudine fere aequali, maculis albidis confertis partim transverse in ordinem dispositis instructa. Sectio longitudinalis lineis grossis illis maculis correspondentibus per longitudinem striata est.

Sub microscopio inprimis excellit cortex grumis et restibus numerosissimis e cellulis sclerenchymaticis polymorphis et fibris fusiformibus, plerumque solitariis perfecte incrassatis, singulis arctissime cinctis cellulis minutis crystallos calcii oxalici gerentibus.

Extractum fluidum.

Cortex Quercus.

Quercus pedunculata Ehrhart et *Quercus sessiliflora* Smith, arbores indigenae notissimae. *Cupuliferae.*

Cortex e truncis junioribus vere, ante foliorum evolutionem detractùs et siccatus tenax, unum ad duo millimetra crassus, in superficie externa laevis, peridermate tenuissimo coloris e cano argentei vel cinereofusci, nitenti obtectus, in superficie interna longitudinaliter striatus, coloris fuscescentis vel fusco-rubentis, fractura in parte interiore lamelloso-fibrosa, in segmento transverso sub peridermate maesophloeo viridescente, separato a libro pallide rubescente, angustissime tesselato, annulo continuo e cellulis sclerenchymaticis.

Saporis est cortex valde adstringentis. Solutione diluta ferri sesquichlorati humectatus induit colorem obscure caeruleum.

Cortex Rhamni Purshiani.

Cascara sagrada.

Rhamnus Purshianus DC., frutex arborescens Americae septemtrionalis. *Rhamnaceae.*

Cortex trunci et ramorum siccatus in frustis canaliculatis aut convolutis, ad duo centimetra amplis, ad duo millimetra crassis, in latere exteriore fuscis aut griseofuscis, sublaevibus, passim peridermate tenuissimo cinereoalbo, subnitido, saepe apotheciis atris punctato obtectis, in latere interiore e nigricante cinnamomeis, tenuiter per longitudinem striatis, in fractura breviter fibrosis, in sectione transversa coloris fusco-flavi, libro delicatissime radiatim lineato. Saporis est subamari.

Extractum fluidum.

Cortex Salicis.

Salix alba Linn., *Salix fragilis* Linn., et aliae *Salicis* species, arbores et frutices ad rivulos et fossas ubique crescentes. *Salicaceae.*

Cortex e ramis bimulis trimulisque primo vere detractus et cito siccatus, flexilis, tenax, ad millimetrum unum crassus, in superficie externa fuscus vel viridescens, laeviusculus, non raro nitens, in superficie interna pallide cinnamomeus vel flavus, laevis, fractura lamelloso-fibrosa, in segmento transverso flavido aut rubicundo-fusco librum angustissime tesselatum probans et solutione diluta ferri sesquichlorati colorem induens ex viridi nigricantem. Est saporis amari et adstringentis.

Crocus.

Crocus sativus Linn., planta tuberosa in Oriente indigena, in variis Europae partibus, inprimis in Gallia et Hispania culta. *Iridaceae.*

Stigmata terna floris e stylo filiformi orta subarcuata, tubulosa, ad tria centimetra longa, sursum dilatata, hic tria ad quatuor millimetra lata, introrsum incisa, margine superiore crenulato lutescenti; siccata rigida, fragilia glaberrima, subnitida, saturate fusco-rubra, odoris peculiaris fragrantis, saporis amari aromatici, subacris, salivam colore aurantiaco tingentia.

Centigramma unum Croci praebet cum litris aquae tribus adhuc colorem belle flavum. Combustus Crocus ne plus quam ex centum partibus octo cineris partes relinquat.

Merx constat e stigmatibus singulis defractis aut adhuc particula styli flavi conjunctis, acervum levem laxumque constituentibus. Ne sit inquinata floribus *Calendulae, Carthami* aut aliis partibus vegetabilibus. Servetur Crocus luce remotus.

Collyrium adstringens luteum. Emplastrum oxycroceum. Massa pilularum Ruffi. Tinctura Opii crocata.

Cuprum sulfuricum.

Crystalli caeruleae, pellucidae, aëre parum fatiscentes, in aqua facile solubiles.

Solutio aquosa baryo nitrico adjecto sedimentum demittit album, in acidis insolubile; ammonia caute addita praecipitatum coloris subcaerulei enascitur, quod superabundante ammonia in liquorem limpidum coloris intense caerluei permutatur.

Solutio aquosa, acido hydrochlorico leviter acidulata, aqua hydrosulfurata abundanti addita sedimentum fusconigrum efficit, liquor ab hoc filtratus sit decolor et evaporatus residuum ne relinquat.

Decocta.

Quodsi in parandis decoctis quantitas medicaminis adhibendi a medico definita non est, in genere pro parte una substantiae partes decem colaturae efficiantur.

Haec norma non valet pro medicaminibus efficacioribus, inprimis narcoticis, quorum dosis maxima definita est et pro substantiis mucilaginosis. Illorum quantitas semper a medico praescribenda est, horum judicio pharmacopolae committitur.

Substantiae pro decocto concisae vel contusae in vase idoneo cum sufficienti quantitate aquae superinfundantur et per semihoram interdum agitando vel coquantur vel vaporibus balnei aquae ebullientis exponantur. Liquidum adhuc calidum cum expressione coletur et, si opus fuerit, filtretur.

Substantiae structurae compactae in genere per horam coquantur.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

Rpe: **Radicis Sarsaparillae concisae**

grammata viginti 20

digere cum

Aquae destillatae *sufficiente quantitate*

per horas viginti quatuor, addendo

Sacchari pulverati

Aluminis pulverati

āā gramma unum 1

dein coque per horam.

Sub finem coctionis adde

Fructus Anisi vulgaris contusi

Fructus Foeniculi contusi

āā decigrammata octo 0·8

Foliorum Sennae concisorum

grammata quinque 5

Radicis Liquiritiae concisae

grammata duo et dimidium. 2·5

Fortiter expressa per pannum cola.

Colatura sit ponderis

grammatum quingentorum. 500

Decoctum Sarsaparillae compositum mitius.

Rpe: **Radicis Sarsaparillae concisae**

grammata decem 10

additis

Speciebus e Decocto fortiori residuis

coque cum

Aquae destillatae *sufficiente quantitate*

per horam. Sub finem coctionis adde

Corticis Fructus Citri concisi

Seminis Cardamomi contusi

Corticis Cinnamomi contusi

Radicis Liquiritiae concisae

āā decigrammata quinque. 0·5

Fortiter exprime et cola per pannum

Colatura sit ponderis

grammatum quingentorum. 500

Elaeosacchara.

Rpe: **Sacchari pulverati** *grammata duo* 2

Olei aetherei praescripti *guttam unam.*

Misce bene terendo.

Parentur ex tempore.

Electuarium aromaticum.

Rpe: **Foliorum Menthae piperitae**
„ **Salviae** āā *grammata centum* 100
Radicis Angelicae
„ **Zingiberis** āā *grammata viginti* 20
Corticis Cinnamomi
Caryophyllorum
Seminis Myristicae āā *grammata decem* 10
In pulverem redactis adde
Mellis depurati *q. s.,*
ut fiat lege artis in balneo aquae Electuarium.

Electuarium lenitivum.

Rpe: **Pulpae Prunorum** *grammata ducenta* 200
„ **Tamarindorum depuratae**
Roob Sambuci āā *grammata centum* 100
Foliorum Sennae pulveratorum
Kalii hydrotartarici pulverati
āā *grammata quinquaginta* 50
Mellis depurati *q. s.*
Fiat lege artis leni calore in balneo aquae Electuarium.
Loco frigido et sicco serva.

Elemi.

Resina Elemi.

Resina, quam offert arbor in insulis Philippinis non satis exploratus, sed verosimiliter species generis *Burseracearum Canarii.*

Occurrit in massis compactis, mollibus, glutinosis, impellucidis, crystallino-granulosis, albidis vel subviridicitrinis, odoris fragrantis foeniculacei, saporis balsamici, amariusculi.

Sit in chloroformio temperatura ordinaria, in spiritu vini, aethere, benzolo ope caloris plane solubilis.

Emplastrum adhaesivum.

Emplastrum Diachylon linteo extensum.

Rpe: **Axungiae Porci**

Olei Olivae

Plumbi oxydati subtilissime pulverati

āā grammata ducenta et quinquaginta. 250

Coque sub continua agitatione igne moderato, subinde aquae pauxillum inspergendo, donec plumbum oxydatum penitus disparuerit, ad justam emplastri consistentiam. Cave, ne plumbi oxydati particulis sit inspersum.

Hujus Emplastri

grammata ducenta et quinquaginta 250

leni calore coque ad perfectam humidi consumptionem, tum adde mixtionem e

Cerae flavae

Resinae Dammar

Colophonii *āā grammis viginti quinque* 25

et **Terebinthiae Venetae**

grammis duobos et dimidium 2·5

antea liquefactis.

Massa adhuc calida supra telam linteam extendatur.

Sit valde adhaerens.

Emplastrum Hydrargyri.

Emplastrum Anglicanum.

Rpe: **Ichtyocollae minutim concisae**
grammata centum 100

solve in

Aquae destillatae calidae
grammatum duobis millibus 2000

adde

Spiritus Vini concentrati
grammata centum 100

Mellis depurati
grammata decem 10

et cola per linteum.

Solutionem leni calore liquefactam, penicilli ope in telam bombycinam levigatam, centimetra septuaginta quinque longam et centimetra sexaginta largam, bene expansam sensim et aequabiliter inducas, post quamlibet inductionem expectando, donec tela penitus sicca fuerit.

Telae superficies opposita illiniatur mixtura ex

Tinctura Benzoës *partibus quatuor,*

Balsami Peruviani *parte una.*

Tela bene siccata in frusta seccetur. Rigidum esse oportet et madefactum cuti bene adhaereat.

Emplastrum Cantharidum.

Emplastrum vesicans.

Rpe: **Cerae flavae**
Terebinthinae Venetae *āā grammata centum* 100
Olei Olivae *grammata viginti.* 20
Colliquefactis et colatis adde
Cantharidum pulveratarum
grammata centum et viginti quinque 125
in balneo aquae per horam cum spatula agitando. Sub finem admisce
Balsami Peruviani *grammata decem.* 10
Massa refrigerata praebet Emplastrum.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Emplastrum Janini vel Jaegeri.

Rpe: **Terebinthinae Venetae**
Mastiches pulveratae *āā grammata triginta.* 30
Leni calore liquefactis agitando sensim admisce
Cantharidum pulveratarum *grammata decem* 10
Euphorbii pulverati *grammata quinque.* 5
Fiat Emplastrum.

Emplastrum Cerussae.

Rpe: **Emplastri Diachylon simplicis**
grammata trecenta 300
Axungiae Porci *grammata quindecim* 15

Cerae albae	*grammata quadraginta*	40
Olei Olivae	*grammata viginti quinque.*	25

Colliquefactis agitando sensim admisce

Plumbi carbonici pulverati

grammata centum et viginti. 120

Malaxando fiat Emplastrum.

Emplastrum Conii.

Rpe:	**Axungiae Porci**	*grammata centum et viginti quinque*	125
	Cerae flavae	*grammata ducenta et quinquaginta*	250
	Terebinthinae Venetae	*grammata viginti quinque.*	25

Colliquefactis et colatis sensim admisce agitando

Herbae Conii pulveratae

grammata centum. 100

Fiat Emplastrum.

Emplastrum Diachylon compositum.

Emplastrum Lythargyri compositum.

Rpe:	**Cerae flavae**	*grammata centum et quinquaginta*	150
	Colophonii	*grammata octoginta.*	80

Colliquefactis et colatis adde

Ammoniaci, coquendo cum aqua lege artis depurati

grammata centum et viginti quinque 125

in **Terebinthinae Venetae**

grammis quadraginta 40

soluta.

Colatis admisce

Emplastri Diachylon simplicis leni calore liquefacti

grammata mille. 1000

Fiat Emplastrum.

Emplastrum Diachylon simplex.

Emplastrum Lythargyri simplex.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata mille* 1000

Plumbi oxydati subtilissime pulverati

grammata quingenta. 500

Coque sub continua agitatione igne moderato, subinde aquae pauxillum inspergendo, donec plumbum oxydatum penitus disparuerit, ad justam Emplastri consistentiam.

Cave ne sit plumbi oxydati non juncti particulis inspersum.

Ceratum fuscum. Emplastrum Cerussae. Emplastrum Diachylon compositum. Emplastrum saponatum. Unguentum Cerussae. Unguentum Diachylon.

Emplastrum Hydrargyri.

Emplastrum mercuriale.

Rpe: **Hydrargyri** *grammata centum* 100

terendo extincta in

Lanolini *grammatibus quinquaginta* 50

misce cum

Massae Emplastri adhaesivi leni igne liquefactae
grammis trecentis et quinquaginta 350
fiat lege artis Emplastrum, in quo globuli hydrargyri non sint conspicui.

Emplastrum Meliloti.

Rpe: **Colophonii** *grammata ducenta* 200
Cerae flavae *grammata quadringenta* 400
Olei Olivae *grammata ducenta.* 200
Colliquefactis et colatis adde
Ammoniaci, coquendo cum aqua lege artis depurati
grammata quinquaginta 50
in **Terebinthinae Venetae**
grammis centum et viginti quinque 125
soluta.
Refrigeratis sub continua agitatione admisce pulveris
Herbae Meliloti *grammata trecenta* 300
„ **Absinthii**
Florum Chamomillae vulgaris
Fructus Lauri *āa grammata viginti.* 20
Fiat Emplastrum.

Emplastrum Minii.

Emplastrum fuscum.

Rpe: **Olei Olivae** *grammata trecenta* 300
Plumbi hyperoxydati rubri subtilissime pulverati
grammata centum et quinquaginta. 150

Coque sub continua agitatione, donec colorem nigro-fuscum acceperit, tunc adde

Cerae flavae *grammata viginti quinque.* 25

Colliquefactis et paulum refrigeratis admisce

Camphorae in pauxillo Olei Olivae solutae

grammata quindecim. 15

Fiat Emplastrum.

Emplastrum oxycroceum.

Rpe: **Cerae flavae** *grammata quinquaginta* 50

Colophonii *grammata centum.* 100

Colliquefactis, colatis et semirefrigeratis adde

Ammoniaci

et **Galbani** coquendo cum aqua lege artis depuratorum

āā grammata viginti quinque 25

in **Terebinthinae Venetae**

grammis viginti quinque 25

soluta.

Tum sub continua agitatione admisce pulveris

Olibani

Mastiches *āā grammata triginta* 30

Croci spiritu Vini diluto irrorati

grammata quindecim. 15

Fiat Emplastrum.

Emplastrum saponatum.

Rpe: **Emplastri Diachylon simplicis**

grammata sexcenta 600

Cerae albae *grammata centum.* 100

Leni igne liquatis adde

Saponis Veneti pulverati

grammata quinquaginta. 50

Subrefrigeratis admisce agitando

Camphorae *grammata decem* 10

in **Olei Olivae** *grammis quadraginta* 40

soluta.

Fiat Emplastrum.

Emulsiones.

Emulsiones ex **seminibus** in genere conficiantur ex

Seminis contusi *parte una,*

Aquae destillatae *q. s.*

ad **Colaturam** *partium decem.*

Emulsiones ex **oleis** parentur ex

Olei *parte una*

Gummi Acaciae pulverati

parte dimidia

Aquae destillatae *q. s.*

ad **Emulsionem** *partium viginti*

obtinendam.

Emulsio amygdalina.

Rpe: **Amygdalarum dulcium decorticatarum**

grammata viginti quinque 25

Sacchari *grammata quindecim.* 15

Contundendo in mortario cum aqua destillata redige in massam pultaceam, cui continuata trituratione adde

Aquae destillatae *tantum*

ut sit **Colatura** *grammatum ducentorum et quinquaginta.* 250

Emulsio oleosa.

Mixtura oleosa.

Rpe:	**Olei Amygdalarum recentis**		
		grammata decem	10
	Gummi Acaciae pulverati		
		grammata quinque.	5
	Bene mixta subigantur terendo cum		
	Syrupi simplicis	*grammis decem.*	10
	Sub continua agitatione affunde		
	Aquae destillatae		
		grammata centum et septuaginta quinque	175

ut fiat Emulsio.

Euphorbium.

Gummi-resina Euphorbium.

Euphorbia resinifera Berg, planta in Africa boreali-occidentali indigena. *Euphorbiaceae.*

Succus lacteus, aëre induratus sistit collectionem frustulorum massae aridae, asperae, subdiaphanae, sordide subflavae, friabilis, quae partim offerunt formas singulares: globoso-trigonas, intus cavas, non raro spinulam bifurcam includentes, aut cylindrato-clavatas, partim laminas tenues crustaceas, intermixtis diversis plantae partibus et fragmentis.

Euphorbium est saporis primum perexigui, deinde acerrimi, caustici; pulveratum sternutamentum vehementissimum excitat, hinc pulvis caute parandus.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Extracta.

Substantiae plantarum, ad Extracta paranda destinatae, pro earum habitu et textura siccatae concisae aut contusae, grosse vel subtiliter pulveratae adhibeantur.

Ad efficienda extracta aquosa substantiae sive maceratione, sive digestione subjiciantur. Durante maceratione vegetabilia ne ultra 20°, digestione ne ultra 50° calefiant. Maceratio ne in dies protrahatur, quo soluta in fermentationem abeunt, sive mucedine corripiuntur.

Liquores aquosi, singulis operationibus defluxi, statim in balneo aquae ad quartam voluminis partem evaporando redigantur, tum loco frigido seponantur et a substantiis non solubilibus depositis sive decanthatione sive filtratione liberati, inter se mixti sub temperatura 100° non attingente ad justam extracti consistentiam evaporentur.

Substantiae ad extracta spirituosa et aethera conficienda, pulveratae et cum exigua quantitate menstrui humectatae, ingerantur in apparatum depulsorium, affundendo menstrui sufficientem quantitatem, ut massa liquore tecta sit. Maceratio apparatu clauso per quadraginta octo horas continuetur. Dein liquidum defluens collige et residuo superaffunde per vices reliquam menstrui quantitatem. Liquores collecti misceantur et destillationi subjiciantur. Residuum leni calore ad praescriptam extracti consistentiam redigatur.

Extracta sic dicta fluida in apparatu depulsorio eodem modo ut extracta spirituosa parentur, attamen liquor primum defluxus, quodsi definitam quantitatem attigerit, separetur a reliqua liquidi defluentis copia, quae destillationi subjiciatur. Residuum inde remanens ad

extracti tenuis consistentiam inspissetur et liquori primum defluxo admisceatur.

Spissitudinem quod attinet extractorum, quatuor gradus distinquuntur. Extracta sunt:

fluida sive liquida = densitate tincturae spissioris,
tenuia = densitate mellis recentis; mellagines,
spissa = quae refrigerata effundi nequeunt,
sicca = in pulverem redigenda.

Ad siccum rediguntur extracta, si ad consistentiam spissorum evaporata, super patinas porcellaneas tenui strato expansa, in furno siccatorio temperaturae 40° non excedenti exponuntur.

Extracta sic dicta narcotica sunt in genere spissa servanda. Ut vero prompte in forma pulveris expediri queant, eorum pars una, cum aequali pondere Sacchari Lactis pulverati intime mixta, leni calore siccetur. Pondus exsiccatione deperditum addito Saccharo Lactis restituatur.

Ejusmodi extracti quantitas duplo major dispensetur, quam quae a medico forma extracti spissi praescripta fuerit.

Extracta sint odoris et saporis peculiaris medicaminum, e quibus parantur, empyreuma ne redoleant, metallis inprimis cupro ne sint inquinata.

Mucedine corrupta rejiciantur.

Serventur in vasis bene tectis, loco frigido sicco.

Extractum Aconiti radicis.

Rpe: **Radicis Aconiti pulveratae**
grammata quingenta 500

Humecta pulverem in vase porcellaneo cum
Spiritus Vini diluti *q. s.*
quin conglobetur. Sepone per horam.

Tum ingere massam in apparatum depulsorium et superaffunde
Spiritus Vini diluti *grammata mille.* 1000

Macera per viginti octo horas. Hoc tempore elapso fac liquorem defluere et per vices affunde
Spiritus Vini diluti *grammatum tria millia.* 3000

Liquores collectos in balneo aquae destillando a spiritu vini libera, residuum in balneo aquae evaporando ad consistentiam extracti spissi redige.

Extractum Aloës.

Rpe: **Aloës pulveratae** *grammata quingenta* 500
solve in
Aquae destillatae bullientis
grammis duobus millibus et quingentis 2500
sub perpetua agitatione. Sepone per duas dies loco frigido, tum liquorem limpidum decantha et residuum cola. Liquores commixtos balneo aquae ad siccum redige.

Extractum Belladonnae foliorum.

Paretur e Foliis Belladonnae pulveratis ut Extractum Aconiti.

Extractum Calami aromatici.

Extractum Acori.

Paretur e Radice Calami aromatici pulverata ut Extractum Aconiti.

Extractum Calumbae.

Paretur e Radice Calumbae pulverata ut Extractum Aconiti.

Extractum Cannabis Indicae.

Paretur ex Herba Cannabis Indicae concisa cum spiritu vini concentrato ut Extractum Aconiti.

Extractum Centaurii minoris.

Rpe: **Herbae Centaurii minoris concisae**
grammata quingenta 500
Aquae destillatae calidae
grammatum tria millia. 3000

Stent per bihorium in dolio, saepius agitentur et dein optime exprimantur. Residuum eidem operationi subjiciatur cum

Aquae destillatae calidae *grammis mille.* 1000

Liquores obtenti ebulliant et per noctem subsidendo depurati per pannum colentur, dein balneo aquae ad extracti spissi consistentiam evaporentur.

Extractum Chinae.

Rpe: **Corticis Chinae contusi**
grammata quingenta 500
Aquae destillatae *grammatum sex millia* 6000
macera per viginti quatuor horas, tum coque per horam. Cola et residuum iterum *tribus vicibus* coque cum
Aquae destillatae *grammatum sex millibus.* 6000
Liquores commixti ebulliant, colentur per pannum et colati evaporentur ad siccum.

Extractum Colocynthidis.

Paretur e Fructu Colocynthidis a seminibus liberato et grosse pulverato ut Extractum Aconiti, evaporando ad siccum.

Extractum Conii herbae.

Paretur ex Herba Conii pulverata ut Extractum Aconiti.

Extractum Cubebae.

Rpe: **Fructus Cubebae pulverati**
grammata ducenta 200
Ingere in apparatum depulsorium et affunde
Aetheris
Spiritus Vini concentrati *āā grammata ducenta* 200
inter se commixta. Stent apparatu clauso per octoginta quatuor horas dein fac liquorem defluere.

Residuo denuo affunde mixturam ex

Aetheris

et

Spiritus Vini concentrati *āā grammis ducentis* 200

paratam, hancque operationem repetas donec liquor plane decolor defluxerit.

A liquoribus obtentis et inter se commixtis aetherem et spiritum vini destillando abstrahe et residuum in balneo aquae in extractum tenue inspissa.

Ante dispensationem conquassa.

Extractum Filicis maris.

Rpe: **Radicis Filicis maris recentis mundatae, siccatae et grosse pulveratae**

grammata ducenta 200

Ingere in apparatum depulsorium et affunde

Aetheris *grammata quadringenta* 400

apparatu clauso macera per biduum.

Liquore defluxo denuo affunde iteratis vicibus

Aetheris *s. q.*,

donec liquor decolor defluxerit.

A liquoribus commixtis aetherem destillatione abstrahe et residuum leni calore in balneo aquae in extractum tenue inspissa.

Misceatur ante dispensationem.

Extractum Gentianae.

Rpe: **Radicis Gentianae minutim concisae**

grammata quingenta 500

Aquae destillatae frigidae

grammatum tria millia. 3000

Macera per viginti quatuor horas, deinde fortiter exprime et residuo affunde

Aquae destillatae *grammata mille.* 1000

Post iteratam per viginti quatuor horas macerationem et expressionem, liquores commixtos subsidendo depuratos et ad ebullitionem calefactos, deinde per pannum colatos in balneo aquae ad consistentiam extracti spissi evapora.

Extractum Graminis.

Paretur e Radice Graminis concisa ut Extractum Gentianae, evaporando ad consistentiam extracti tenuis.

Extractum Granati.

Extractum Punicae Granati.

Paretur e Cortice Granati pulverato ut Extractum Aconiti.

Extractum Hydrastidis fluidum.

Rpe: **Radicis Hydrastidis Canadensis pulveratae** *grammata centum* 100

Humecta pulverem cum

Spiritus Vini diluti *q. s.,*

quin conglobetur. Sepone per horam.

Tum ingere massam in apparatum depulsorium et superaffunde

Spiritus Vini diluti *q. s.*,

ut massa liquido obtecta sit.

Macera per quadraginta octo horas. Quo tempore elapso collige liquorem defluentem in lagena noti ponderis, donec quantitas liquidi pondus octoginta quinque grammatum attigerit. Lagena cum excipulo satis capaci commutata, residuo affunde iterratis vicibus spiritum vini dilutum donec radix penitus exhausta sit.

Liquorem in excipulo collectum in balneo aquae destillando a spiritu vini libera, residuum inde remanens ad extractum tenue evaporando redige, demum cum liquore in lagena collecto misce.

Pondus liquoris filtrati sit

grammatum centum et quinquaginta 150

Quod de hoc deesset addito spiritu vini compensetur.

Extractum Hyoscyami foliorum.

Paretur e Foliis Hyoscyami pulveratis ut Extractum Aconiti.

Extractum Liquiritiae.

Paretur e Radice Liquiritiae contusa ut Extractum Gentianae.

Extractum Malatis Ferri.

Extractum Ferri pomati.

Rpe: **Pomorum acidulorum maturorum contusorum** *grammatum tria millia* 3000

Coque cum

Aquae destillatae *sufficiente quantitate*

per quadrantem horae, dein misce cum

Ferri pulverati *grammis quingentis.* 500

Digere saepius agitando et aquam evaporatam restituendo in loco tepido per aliquot hebdomadas, donec in massam nigram transierint, quam sacculo linteo inclusam exprime.

Liquorem subsidendo depuratum filtra et in balneo aquae ad extracti spissi consistentiam redige.

Tinctura Malatis Ferri.

Extractum Opii.

Rpe: **Opii pulverati** *grammata centum* 100

Aquae destillatae *grammata octingenta.* 800

Macera saepius conquassando per quadraginta octo horas, liquorem dein defunde et residuo fortiter expresso adde

Aquae destillatae *grammata quadringenta.* 400

Post iteratam per viginti quatuor horas macerationem liquores decanthatione et expressione obtenti et inter se commixti filtrentur et in balneo aquae ad extractum siccum evaporando redige, cujus pondus minimum sit *grammatum quinquaginta.* 50

Contineat in centum partibus minimum partes 17 Morphini: hujus rei

Extracti Opii	*grammata tria*	3

sub temperatura ordinaria solvantur in

Aquae destillatae	*grammis quadraginta duobus.*	42
Solutionis filtratae	*grammata triginta*	30

in lagena apta bene claudenda misceantur cum

Spiritus Vini concentrati		
Aetheris	*āā grammis decem*	10
Ammoniae	*grammis duobus*	2

saepius conquassando.

Crystallos intra viginti quatuor horas sub temperatura 10—15° enatas in parvo filtro collige, cum mixtura ex

Spiritus Vini diluti		
Aquae destillatae		
Aetheris	*āā grammis duobus*	2

parata, bis lava et calore 100° sicca. Earum pondus minimum sit 0·34 grammatum.

Extractum Quassiae.

Paretur e Ligno Quassiae contuso ut Extractum Chinae.

Extractum Quebracho fluidum.

Rpe: **Corticis Quebracho pulverati**

grammata ducenta 200

macera cum

Aquae destillatae *grammis octingentis* 800

per triginta sex horas, tum coque per horam.

Refrigeratis admisce

Spiritus Vini concentrati *grammata ducenta.* 200

Stent per viginti quatuor horas loco tepido, tum cola, exprime et filtra. Liquorem obtentum in balneo aquae ad pondus

grammatum centum octoginta 180

evaporatum et refrigeratum misce cum

Spiritus Vini concentrati *grammis viginti,* 20

tum per duodecim horas sepositum filtra.

Extractum Ratanhiae.

Paretur e Radice Ratanhiae minutim contusa cum aqua destillata ut Extractum Gentianae, evaporando ad siccum.

Extractum Rhamni Purshiani fluidum.

Extractum Cascarae sagradae fluidum.

Paretur e Corticis Rhamni Purshiani pulverati grammis centum cum Magnesii oxydati grammis decem intime mixtis ut Extractum Hydrastidis.

Extractum Rhei.

Paretur e Radice Rhei contusa cum aqua destillata ut Extractum Centaurii minoris. Evaporetur ad siccum.

Extractum Scillae.

Paretur e Bulbo Scillae siccato et pulverato ut Extractum Aconiti.

Extractum Secalis cornuti.

Extractum haemostaticum. Ergotinum.

Rpe: **Secalis cornuti grosse pulverati** *grammata centum* 100

Ingere in apparatum depulsorium et affunde

Aquae destillatae *grammata ducenta.* 200

Macera per duodecim horas, tum liquidum defluens collige et in balneo aquae calefaciendo coagula.

Residuo sensim affunde

Aquae destillatae *grammata trecenta.* 300

Liquorem guttatim stillantem collige et ad syrupi consistentiam evaporando redige, dein misce cum liquido prima maceratione obtento, quod interim a coagulo enato filtratione separetur.

Liquoribus commixtis adde

Spiritus Vini *triplam quantitatem.*

Stent saepius agitando per viginti quatuor horas tum sedimento deposito filtra et liquorem in balneo aquae evaporando in extractum spissum redige.

Solutio extracti nonnisi filtrata dispensetur, si a medico in usum hypodermaticum praescribitur.

Extractum Strychni.

Extractum Nucis vomicae.

Paretur e Semine Strychni pulverato ut Extractum Aconiti.

Extractum Taraxaci.

Paretur e partibus aequalibus Radicis et Foliorum Taraxaci concisorum ut Extractum Gentianae, evaporando ad consistentiam extracti tenuis.

Extractum Trifolii fibrini.

Paretur e Foliis Trifolii fibrini concisis ut Extractum Centaurii minoris.

Ferrum carbonicum saccharatum.

Rpe: **Natrii carbonici crystallisati**
grammata trecenta 300

solve in

Aquae destillatae *grammis mille ducentis.* 1200

Solutioni filtratae et in cucurbita satis capaci ad ebullitionem evectae admisce

Mellis depurati *grammata quinquaginta,* 50

tum partitis vicibus ingere

Ferri sulfurici crystallisati pulverati
grammata ducenta quinquaginta. 250

Effervescentiam, quae jam nascitur nimiam, addita exigua quantitate spiritus vini tempera.

Reactione peracta cucurbita aqua bullienti impleatur et leviter tecta seponatur, donec praecipitatum subsederit. Quo facto liquidum supernatans siphonis ope abstrahatur, cucurbita rursus aqua bullienti impleatur, sedimento deposito liquidum denuo abstrahatur. Id tamdiu iteretur, donec aqua lotoria baryo nitrico vix turbetur.

Sedimentum linteo collectum ope preli fortissime exprimatur, demum cum

Sacchari pulverati *grammis ducentis* 200

mixtum in balneo aquae celeriter siccetur et in vase bene clauso servetur.

Pulvis sit coloris e viridi cinerei, saporis dulcis, ferruginei, in acido hydrochlorico vehementer effervescens; solvatur in liquorem ex viridi flavum, qui aqua hydrosulfurata nec coloretur nec praecipitatum deponat. Solutio aquosa, acido hydrochlorico ne plus quam opus est effecta, baryo nitrico ne statim turbetur.

Gramma unum praeparati in catino iteratis vicibus acido nitrico humectatum et candefactum residuum, ex ferro oxydato constans, relinquat, cujus pondus minimum sit 0·22 grammatum.

In apparatu Marshii examinatum ne vestigium quidem speculi arsenici praebeat.

Ferrum citricum ammoniatum.

Lamellae ex fusco rubrae, nitidae, amorphae, in aqua frigida facile solubiles. Solutio coquendo non turbatur, cum solutione kalii hydrooxydati, non vero

ammonia addita praecipitatum ducit ex fusco rubrum et ad ebullitionem calefacta, ammoniam emittit. Solutio aquosa diluta, kalio-ferrocyanato admixto, tum demum praecipitatum caeruleum efficit, quum solutio acido hydrochlorico acida facta fuerit. Kalio-ferricyanato ne mutetur.

Solutio aquosa acidis, et hydrochlorico et nitrico, frigore praecipitatum flavum ducit, quod calefaciendo, utique aqua destillata adjecta, rursus solvitur.

Grammata duo hujus praeparati in decem centimetris cubicis aqua soluta, deinde cum decem centimetris cubicis acidi sulfurici diluti mixta et calefacta, solutionem refrigeratam limpidam praebeant, quae bis cum vicenis centimetris cubicis aetheris conquassata, huic partem acidi citrici tradunt. Aethere evaporato, residuum in balneo aquae siccatum et cum decupla quantitate acidi sulfurici concentrati in balneo aquae ad 100 ° calefactum, solutionem flavam praebeat, quae etsi diutius calefacta colorem ex fusco rubrum vel fuscum ne recipiat. Solutio aquosa, acido nitrico acidulata, addito argento nitrico ad summum vestigia turbationis praebeat, baryo nitrico ne mutetur.

In apparatu Marshii examinatum ne vestigium quidem speculi arsenici prodat.

Ferrum hydrooxydatum dialysatum liquidum.

Dialyseos ope ex ferro sesquichlorato basico paratum, exhibeat liquorem limpidum, coloris intense rubri, reac-

tionis neutrius, saporis leniter adstringentis, qui, una gutta acidi sulfurici diluti adjecta, continuo in gelatinam abeat, ferro hydrooxydato efformatam.

Viginti grammata liquoris ad siccitatem evaporata et in balneo arenae calefacta, donec pondus jam non imminuatur, residuum relinquant ponderis grammatis unius, quod totum fere constet ex ferro oxydato.

Centimetra cubica quinque (5 CC.) hujus praeparati cum aequali volumine acidi nitrici diluti calefacta, donec solutio limpida subflava evaserit, tribus centimetris cubicis et dimidio (3·5 CC.) solutionis argenti nitrici volumetrici additis, liquorem praebeant, qui filtratus guttis aliquot solutionis argenti nitrici non amplius turbetur.

In apparatu Marshii examinatum vestigia arsenici ne prodat.

Ferrum lacticum.

Crustae crystallinae e viridi albae vel pulvis crystallinus fere albus, in aqua fervida haud difficulter, in frigida minus facile, in spiritu vini vix solubilis. Calefactus vapores emittit densos, odoris acidi penetrantis, caramelum monentes, tum carbonescit, denique relinquit residuum ferri oxydati.

Solutio aquosa, reactionis acidae, frigore saturata kalio-ferricyanato adjecto colorem induit intense cyaneum, kalio-ferrocyanato dumtaxat subcaeruleum.

Pulvis Ferri lactici cum acido sulfurico contritus nec gas evolvat, nec, diutius sepositus, colorem fuscum trahat.

Solutio aquosa nec plumbo acetico, nec, acido hydrochlorico acidulata, aqua hydrosulfurata mutetur et baryo nitrico non plus quam levissime turbetur.

Gramma unum salis, acido nitrico humectatum et post exsiccationem caute ignitum, minimum centigrammata viginti septem (0·27) ferri oxydati relinquat, quod aquae fervidae nihil solubile impertiat.

In apparatu Marshii examinatum vestigia arsenici ne exhibeat.

Servetur vase a luci remoto.

Ferrum et Natrium pyrophosphoricum.

Pulvis crystallinus, albus, saporis salsi, non adstringentis.

In aqua frigida difficulter et lente, sed plane solubilis, in fervida facile solvitur, solutio induit colorem subflavum. Ex solutione aquosa spiritu vini sal integer praecipitatur, floccis albis emissis. Sal ope fili platinei limbo flammae parum lucentis admotum, huic colorem intense flavum tribuit.

Solutio aquosa, vel per aliquot tempus ad ebullitionem evecta, non turbatur, sed acidis, etiam acido nitrico, adjectis praecipitatur. Sedimentum coquendo non consumitur, nisi multo acido adjecto, solutio effecta colorem ex rutilo flavum recipit.

Natrio carbonico solutio aquosa non praecipitatur, eadem, non nimis concentrata, addita ammonia colorem recipit ex rubro fuscum; kalio hydrooxydato admixto solutio praecipitatum deponit coloris ex rubro fusci.

Ex solutione aquosa argento nitrico praecipitatum ducitur album, quod in acido nitrico solutum, nonnisi exiguam turbationem, argento chlorato effectam, relinquat.

Ferrum pulveratum.

Pulvis subtilissimus, ponderosus, nitoris metallici, coloris grisei, magnete adtrahitur et in acidis dilutis, hydrochlorico sive sulfurico, exiguo residuo relicto solvitur; hydrogenium simul emissum chartam bibulam, solutione plumbi acetici humectatam, colore fusco sive nigro ne inficiat.

Solutio hydrochlorica neque aqua hydrosulfurata colorem recipiat nigricantem, nec, postquam ferrum acido nitrico oxydatum et ammonia abundante praecipitatum fuerit, liquorem praebeat, qui filtratus ammonio hydrosulfurato turbetur.

Residuum Ferri pulverati, acido hydrochlorico non solutum, acido nitrico solvatur, solutio calefacta et tum aqua diluta nec aqua hydrosulfurata nigricantem, nec ammonia caeruleum colorem trahat.

In apparatu Marshii examinatum vestigia arsenici ne praebeat.

Servetur vase siccato.

Ferrum reductum.

Pulvis e cinereo nigricans, nitoris expers, pressus metalli splendorem recipiens, magnete adtrahitur.

In acidis dilutis, hydrochlorico et sulfurico, plane solvitur, hydrogenio emisso charta plumbo acetico soluto humectata ne coloretur.

Caeterum solutio hydrochlorica ad reagentia eandem, quae Ferri pulverati respondet, rationem praebeat.

Si decigrammata duo (0·2 Grm.) Ferri reducti in cucurbitula, quae acido carbonico repleta est, acido sulfurico diluto calefaciendo solvuntur, minimum centimetra cubica triginta quinque et tres decimas partes (35·3 CC.) solutionis kalii hypermanganici volumetricae consumantur, donec liquor colorem rubrum persistentem recipiat.

In apparatu Marshii examinatum vestigia arsenici ne prodat.

Ferrum sesquichloratum crystallisatum.

Rpe: **Ferri in filis** *grammata centum* 100

Immitte in cucurbitam vitream satis capacem et affunde

Acidi hydrochlorici concentrati

grammata quingenta 500

Aquae destillatae *grammata mille.* 1000

Reactione calefaciendo peracta, in liquorem filtratum inducatur chlorum tamdiu, donec pars exempta aqua diluta et guttis nonnullis acidi hydrochlorici additis calefacta, gutta solutionis kalii-ferricyanati adjecta colorem caeruleum non amplius recipiat.

Tum liquor in balneo aquae in vase porcellaneo ad consistentiam syrupi evaporetur, dein in loco frigido vase tecto ad crystallisandum seponatur. Massam in crystallos concretam, in frusta divisam vase siccato et optime clauso serva.

Massa crystallina, flava, aëre liquescens, in aqua, spiritu vini et aethere plane solubilis, vix acidum hydrochloricum redoleat. Solutio aquosa kalio-ferrocyanato

praecipitatum caeruleum, argento nitrico album, caseosum, ammonia abundanti gelatinosum, e rubro fuscum gignit. Liquor ex hoc ultimo praecipitato filtrando obtentus, coloris expers, evaporatum et candefactum residuum nullum relinquat, neque admixto dimidio volumine acidi sulfurici concentrati et dein caute superinfusa solutione ferri sulfurici, eo plano, quo inter se liquores contingunt, zonam fuscam efficiat.

Grammata decem Ferri sesquichlorati in exigua quantitate aquae soluta, admixtis duobus grammis kalii chlorati pulverati et viginti centimetris cubicis acidi sulfurici concentrati, calefacta, donec vapores acidi sulfurici largiter emittantur, residuum praebeant, quod refrigeratum et aqua solutum in apparatu Marshii ne quidem vestigia arsenici prodat.

Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.

Ferrum sesquichloratum solutum.

Ferri sesquichlorati crystallisati *partem unam*
solve in
Aquae destillatae *parte aequali.*

Sit ponderis specifici 1·28.

Ferrum sulfuricum.

Crystalli subcaeruleo-virides, aëre fatiscentes, in aqua facile solubiles. Solutio aquosa reactionis subacidae, adjecto kalio-ferricyanato soluto sedimentum demittit intense caeruleum, baryo nitrico album, in acidis insolu-

bile; acido nitrico oxydata et ammonia abundanti mixta sedimentum demittat gelatinosum, fusco rubrum; liquor ab hoc filtrando separatus, sit coloris expers, ammonio sulfurato ne mutetur et ad siccum evaporatus et candefactus sedimentum nullum relinquat.

Solutio aquosa, una vel duabus guttis kalii sulfocyanati soluti instillatis, colore ad summum rutilo-flavo, minime rubro tingatur, aqua hydrosulfurata ne turbetur.

Quodsi *Ferrum sulfuricum siccatum* exposcitur, crystalli Ferri sulfurici in pulverem redactae balneo aquae tamdiu exsicentur, donec in pulverem album dilapsae fuerint et ponderis partes triginta quinque ad sex amiserint.

Ferrum sulfuricum in apparatu Marshii examinatum ne vestigia quidem speculi arsenici praebeat.

Flores Arnicae.

Arnica montana Linn., planta perennis indigena, in Europae mediae et borealis pratis montanis silvaticis sat frequens. *Compositae.*

Anthodia magna radiata, luteo-aurantiaca, peranthodio polyphyllo, biseriali, flosculis radii ligulatis, ad duo et dimidium centimetra longis, quatuor millimetra circiter latis, tridentatis, septem-ad novem-nerviis, disci tubulosis, quinquedentatis, acheniis subcylindricis, asperis, pappo piloso, uniseriato, rigido coronatis, receptaculo convexo, foveolato, foveolis pilis brevibus albidis circumdatis et singulis setis validioribus praeditis, odoris exigui aromatici, saporis subacris, amariusculi.

Anthodia perfecte explicata colligenda et siccata a larvis nigris *Trypetae arnicivorae* (Löw) libera serventur.

Anthodia similia specierum nonnullarum *Aronici* et *Doronici* distinguuntur praecipue flosculis ligulatis radii quatuor-nerviis.

Tinctura.

Flores Chamomillae Romanae.

Anthemis nobilis Linn., planta perennis, in Europa meridionali et occidentali indigena, apud nos frequenter culta. *Compositae.*

Anthodia varietatis cultae plerumque plena siccata, flosculis plurimis ligulatis albis, tubulosis in centro paucissimis flavis, peranthodio imbricato, receptaculo conico, medulloso, paleis spatulato-cymbiformibus, duplicato-serratis obsito, odoris aromatici peculiaris, saporis aromatici et peramari.

Ne confundantur cum anthodiis plenis varietatis *Chrysanthemi Parthenii* (Pers.), in hortis frequenter cultae, receptaculo nudo distinctis.

Aqua carminativa.

Flores Chamomillae vulgaris.

Matricaria Chamomilla Linn., planta annua, inter segetes et in ruderatis passim crescens. *Compositae.*

Anthodia radiata multiflora siccata, peranthodio imbricato, receptaculo conico, nudo, cavo, quatuor ad quinque millimetra alto, unum et dimidium millimetrum lato, flosculis radii ligulatis albis, disci minimis tubulosis

flavis, pappo nullo, odoris peculiaris fragrantis, saporis aromatici et amari.

Ne confundantur cum anthodiis *Chrysanthemi Parthenii* (Pers.) et *Chrysanthemi inodori* (Linn.), receptaculo medulloso, nec cum anthodiis *Anthemidis Austriacae* (Jacq.), *Anthemidis arvensis* (Linn.) et *Anthemidis Cotulae* (Linn.), receptaculo praeterea paleis obsito, facile dignoscendis.

Aqua. Tinctura. Emplastrum Meliloti.

Flores Cinae.

Semen Cinae Levanticum.

Artemisia Cina Berg, planta suffruticosa in Turkestania crescens. *Compositae.*

Anthodia clausa siccata pauciflora, oblongo-subprismatica, coloris subviridi-fuscescentis, tria ad quatuor millimetra longa, glabra, subnitida, peranthodii foliolis numero duodecim ad duodeviginti subimbricatis, exterioribus ovatis, interioribus oblongis, quoad magnitudinem cedentibus, late membranaceo-marginatis, dorso carinatis et glandulis globosis vel subglobosis aureis inspersis, odoris peculiaris, haud grate aromatici, saporis amari et aromatici.

Flores Koso.

Hagenia Abyssinica Willdenow, arbor in Abyssiniae montibus indigena. *Rosaceae.*

Paniculae femineae defloratae siccatae, ramosissimae, multiflorae, bracteatae, villosae, floribus bibracteolatis, bracteolis subrotundis, integerrimis, membranaceis, reticulato-venosis, rubescentibus ut sepala in duobus circulis margine hypanthii brevis turbinati inserta, quorum quinque aut quatuor exteriora oblonga erecto-patentia, circiter ter longiora sunt interioribus quinque vix millimetra tria longis, supra petala quinque lanceolata, parva, reflexa et duos stylos pilosos conniventibus. Saporis sunt nauseoso-subamari, adstringentis et acris.

Merx occurrit in fasciculis subcylindricis, circa quinque decimetra longis, culmis Cyperi articulati spiraliter circumvolutis. Vetusta, bracteis sepalisque coloris fusci, vix rubescentis, rejiciatur.

Flores a ramis crassioribus liberati in vase bene clauso luci impervio serventur.

Flores Lavandulae.

Lavandula officinalis Chaix, fruticulus Europae australis, in nostris hortis frequenter cultus. *Labiatae.*

Flores ante perfectam anthesim collecti et siccati caerulei, calyce cylindrico, quinque millimetra longo, striato, quinque-dentato, dente supremo majore, erecto, lobuliformi, denticulis quatuor brevissimis, tomento cinereo e pilis verticillato-ramosis granulatis, intermixtis glandulis subglobosis, oleo aethereo repletis, corolla bilabiata, tubo calyce longiore, labio superiore obcordato-bifido, majore labio inferiore aequaliter rotundato-trilobo. Odoris sunt suave fragrantis, saporis amari.

Caules foliaque repurga.

Spiritus. Aqua aromatica spirituosa. Species aromaticae.

Flores Malvae.

Malva silvestris Linn., vide: *Folia Malvae.*

Flores sub plenaria anthesi decerpti et siccati, calyce involucrato quinquefido, pilis majoribus furcatis et minoribus stellatis induto, involucro triphyllo, foliolis oblongis setosis, corolla pentapetala, quadruplo calyce longiore, petalis obovatis, emarginatis, breviter unguiculatis, violaceis, basi albido-barbellatis, staminibus plurimis monadelphis, tubo filamentorum basi unguiculata petalorum connato, germine orbiculato, depresso, multiloculari.

Species Althaeae. Species pectorales.

Flores Rhoeados.

Papaver Rhoeas Linn., planta annua indigena notissima. *Papaveraceae.*

Petala, in flore numero quatuor, bina majora, semiorbiculata, integerrima, phoenicea, tenerrime venosa, odoris debilis narcotici, siccata tenuissima, fere diaphana, sordide violacea, saporis amariusculi, submucilaginosi.

Species pectorales.

Flores Rosae.

Rosa centifolia Linn., frutex orientalis, apud nos in varietatibus numerosis cultus. *Rosaceae.*

Petala gratissime odorata, coloris pallide subrubri, sub anthesi decerpta et celeriter siccata, saporis modice adstringentis.

Mel rosatum.

Flores Sambuci.

Sambucus nigra Linn., arbor notissima indigena. *Caprifoliaceae.*

Cymae plerumque quinqueradiatae, multiflorae, planae, corollis epigynis minutis, rotato - quinquefidis, ex albo luteolis, siccatione magis flavescentibus, staminibus quinque, stigmatibus sessilibus, odoris peculiaris, haud grati.

Flores sereno coelo colligendi resectis cymis et celeriter siccandi. Nigrescentes rejiciendi.

Flores Tiliae.

Tilia grandifolia Ehrhart et *Tilia parvifolia* Ehrhart, arbores notissimae indigenae. *Tiliaceae.*

Cymae tri- ad novemflorae, pedunculo sex ad octo centimetra longo, usque ad dimidiam partem connato bractea lineari-oblonga, obtusa, integerrima, membranacea, reticulato-venosa, glabra, pallide e viridi subflava, calyce quinque-sepalo, tomentoso, deciduo, petalis quinque spatulatis, glabris, pallide lutescentibus, staminibus plurimis liberis, albidis, corollam vix superantibus, ovario globoso.

Siccatae in vase bene clauso nec ultra annum servandae. Odor recentium suavissimus, siccatorum multo debilior, sapor dulciusculus et mucilaginosus.

Species laxantes St. Germain.

Flores Verbasci.

Verbascum phlomoides Linn., planta biennis indigena vulgaris. *Scrophulariaceae.*

Corollae rotatae, tria ad quatuor centimetra in diametro, brevissime tubulatae, limbo inaequaliter quinquepartito, lobis duobus superioribus minoribus tribus inferioribus, medio maximo, belle luteae, extus albido-tomentosae pilis verticillato-ramosis, staminibus tubo insertis quinque inaequalibus, tribus superioribus brevioribus albido-villosis, antheris horizontalibus, duobus inferioribus longioribus subglabris, antheris longe decurrentibus, odoris recentium ingrati, siccatarum suavis, mellei, saporis subdulcis et mucilaginosi.

Sicco coelo corollae a calycibus liberatae colligendae, ad fragilitatem usque siccatae in vasis antea calefactis bene obturandis servandae.

Species pectorales.

Folia Althaeae.

Althaea officinalis Linn., planta perennis indigena, in provinciis australioribus ad vias, fossas, in sepibus humidiusculis frequens, passim culta. *Malvaceae.*

Folia petiolata, subcordato-ovata vel cordato-lanceolata, triloba, lobis acutis, obsolete triloba vel sub-quinque-

loba, palmatim quinque- aut trinervia, inaequaliter crenato-dentata, crassiuscula, holoserico-mollia, in utraque parte tomento denso e pilis magnis stellatis tecta, e subgriseo vel e flavescenti viridia, saporis mucilaginosi.

Colligantur aestate, florente planta et siccata serventur.

Species emollientes. Species pectorales.

Folia Aurantii.

Citrus vulgaris Risso, arbor in regionibus calidis totius orbis culta. *Rutaceae. Aurantieae.*

Folia, cum petiolo late alato, obovato vel obcordato articulata, ovato-oblonga, acuta, integerrima aut repando-crenato-subserrata, pellucide punctata, glabra, coriacea, saturate viridia, siccatione pallida, rigida, tenacia, odoris debilis, grate aromatici, saporis subamaro-aromatici, subadstringentis.

Folia Belladonnae.

Atropa Belladonna Linn., planta perennis, in Europae fere totius nemoribus, imprimis montanis, crescens. *Solanaceaé.*

Folia ovata, elliptica aut ovato-oblonga, acuta, vel acuminata, in petiolum brevem desinentia, usque ad tria decimetra longa, integerrima, tenuia, tactu mollia, superne obscure vel ex subfusco viridia, glabra, subtus pallidiora, glabriuscula, pilis rarissimis simplicibus, partim glanduliferis, siccata in utraque parte, propter cellulas mesophylli crystallis calcii oxalici minutissimis repletas, tuberculis

perpusillis albidis, solummodo sub lente plane destinguendis, conspersa, saporis amariusculi, subacris.

Folia e planta florifera decerpenda, cito siccanda et in vase bene clauso caute servanda; quotannis renovanda.

Extractum. Tinctura.

Folia Coca.

Erythroxylon Coca Lamarck, frutex sponte crescens et cultus in Peruvia et Bolivia. *Erythroxyllaceae.*

Folia siccata petiolata, ovalia, obovata vel oblonga, quinque ad sex centimetra longa, mucronata, integerrima, tenuia, rigida, fragilia, superne sordide viridia, subtus pallidiora, pruinosa et plura instructa duabus epidermidis plicis linearibus, tantos nervos laterales arcuatos imitantibus nervumque primarium a basi usque in folii apicem comitantibus, odoris debilis aromatici, saporis amariusculosubacris.

Folia Digitalis.

Digitalis purpurea Linn., planta biennis, in montibus apricis Europae occidentalis sponte crescens, apud nos in hortis frequentissime culta. *Scrophulariaceae.*

Folia ovata vel ovato-oblonga, infima in petiolum longum alatum decurrentia, usque ad decimetra tria longa, superiora minora, breviter petiolata aut sessilia, omnia inaequaliter aut subduplicato-crenata, reticulato-venosa, rugosa, nervis tertiariis prope paribus intervallis inter se

distantibus in segmentis nervis secundariis arcuatis determinatis, superne obscure viridia, pubescentia, subtus tomento albo-griseo obtecta, odoris peculiaris debilis, saporis amari nauseosi.

Colligenda e planta florescenti, sedulo siccanda nec ultra annum in vase bene clauso caute servanda.

Tinctura.

Folia Hyoscyami.

Hyoscyamus niger Linn., planta annua et biennis in ruderatis obvia. *Solanaceae.*

Folia basilaria, in petiolum attenuata, usque ad tria decimetra longa, oblongo-ovata vel oblonga, acuta aut acuminata, plus minusve profunde sinuato-dentata aut pinnatifida, caulina semi-amplexicauli-sessilia, minora, ovata, grosse vel sinuato-dentata, omnia tactu mollia, viscido-villosa, obscure viridia, odoris peculiaris nauseosi, narcotici, saporis fatui, amariusculo-subacris.

Exsiccatione valde tabescunt, perfecte siccata sunt corrugatissima, glaucescentia, nervis albidis, et odoris et saporis exigui.

Colligenda e planta spontanea florescente et siccata in vase bene clauso caute nec ultra annum servanda.

Extractum. Oleum.

Folia Malvae.

Malva vulgaris Fries et *Malva silvestris* Linn., plantae indigenae vulgares. *Malvaceae.*

Folia longissime petiolata, cordato-orbicularia aut reniformia, quatuor ad decem centimetra lata, sublobata

vel quinque- ad septemloba, lobis obtusis, subduplicato-crenato-dentatis, quinque- aut septemnervia, pilosiuscula, supra saturate viridia, subtus pallidiora, inodora, saporis mucilaginosi, e plantis florescentibus colligenda et siccata servanda.

Species emollientes.

Folia Melissae.

Melissa officinalis Linn., planta perennis, in Europa australi indigena, passim in hortis culta. *Labiatae.*

Folia longe petiolata, late ovata vel subcordata, centimetra quinque summum longa, grosse crenato-serrata, tenuia, supra saturate viridia, subrugosa, subtus pallidiora, sparsim pilosa et minute glandulosa, nervo primario utroque ternos aut senos nervos secundarios emittente, grate citriodora, saporis aromatici, amariusculi, subadstringentis.

Folia planta florescente collecta et siccata in vase bene clauso ne ultra annum serventur.

Aqua. Aqua aromatica spirituosa. Spiritus aromaticus.

Folia Menthae crispae.

Mentha crispa Linn. et aliae Mentharum varietates foliis crispis in hortis cultae. *Labiatae.*

Folia brevissime petiolata aut sessilia, ovalia, ovata, aut cordata, acuminata, margine crispa, argute dentata, dentibus productis et reflexis, bulloso-rugosa vel undulata,

glabra aut villosa, glandulosa, odoris grate aromatici, sub tempore florescentiae collecta et siccata, quotannis renovanda.

Aqua aromatica spirituosa. Aqua carminativa. Species aromaticae.

Folia Menthae piperitae.

Mentha piperita Linn., planta perennis passim in hortis culta. *Labiatae.*

Folia petiolata, petiolo octo ad decem millimetra longo, ovato-oblonga vel oblongo-lanceolata, acuta, basi in petiolum contracta, inaequaliter argute serrata, superne saturate viridia, subtus pallidiora, in utraque parte glabra vel solummodo ad nervos pubescentia, glandulosa, nervis secundariis arcuatis, odoris fragrantis, masticata primum caloris, dein frigoris sensum in ore et faucibus excitantia, e stirpe florescente decerpta, siccanda nec ultra annum servanda.

Ne confundantur foliis aliarum Menthae specierum apud nos indigenarum aut in hortis cultarum longe diversi odoris et saporis, ut foliis sessilibus aut subsessilibus, notabiliter laete viridibus *Menthae viridis* (Linn.), aut foliis sessilibus, subtus inprimis albido-tomentosis *Menthae silvestris* (Linn.), aut foliis petiolatis oblongis, in petiolum desinentibus, supra medium serratis, minutim ciliatis, subtus pilis longiusculis canescentibus, tenuioribus *Menthae gentilis* (Linn.).

Aqua. Spiritus. Syrupus. Acetum et Electuarium aromaticum.

Folia Rosmarini.

Rosmarinus officinalis Linn., frutex in Europa australi indigenus, apud nos non raro cultus. *Labiatae.*

Folia sessilia siccata linearia, subacerosa, obtusa, margine integerrimo revoluta, superne convexa, glabra, medio sulcata, nitida, viridia, rugosa, subtus concava, nervo primario prominente, albo-vel griseo-tomentosa, pilis ramosis et glandulis oleiferis, crassa, rigida, odoris gravis, aromatici, camphoracei, saporis aromatici, acris, amariusculi.

Spiritus. Acetum aromaticum.

Folia Salviae.

Salvia officinalis Linn., planta mediterranea, apud nos in hortis frequenter culta. *Labiatae.*

Folia petiolata, ima longe petiolata, oblonga, lanceolata vel ovalia, quinque ad septem centimetra longa, acuta vel obtusa, basi attenuata, rotundata aut subcordata, passim auriculata, margine crenulata, superficie aequaliter minutim venoso-rugosa, albo- aut griseo-tomentosa, vel superne subglabra, subtus griseo-tomentosa, crassiuscula, odoris balsamici, subcamphoracei, saporis amaro-aromatici et adstringentis.

Sub florum anthesi colligenda et siccata adhibeantur.

Aqua. Acetum aromaticum. Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum. Pulvis dentifricius niger. Species aromaticae.

Folia Sennae.

Foliola siccata breviter petiolata, basi inaequalia. mucronata, integerima, plerumque plana, nervis secundariis arcuatis, subglabra, pilis parvis, acutis, simplicibus. unicellularibus, rigida, odoris peculiaris, saporis nauseoso-subacris nonnullarum specierum generis *Cassiae (Leguminosae. Caesalpinaceae)*, quarum *Cassia acutifolia* Delile, frutex in Aegypto, Nubia et Africa centrali spontaneus, foliolis ovatis, vel oblongis, acutis, duodecim ad triginta millimetra longis. glauco- vel subflavo-viridibus, subcoriaceis **Senam** sic dictam **Alexandrinam** (Folia Sennae Alexandrinae), *Cassia angustifolia* Vahl, frutex in Arabia nec non in Africa orientali indigenus. in India orientali cultus, foliolis lanceolatis vel lineari-lanceolatis, usque ad sex centimetra longis, tenuioribus, fere membranaceis, laete viridibus **Senam Indicam de Tinnevelly** (Folia Sennae de Tinnevelly) praebet.

Senna Alexandrina praeter fragmenta foliorum, fructuum et aliarum partium Cassiae acutifoliae etiam sistit folia plerumque plus minusve involuta, oblongo-lanceolata vel ovato-oblonga, basi aequalia, acuta, integerrima, in utraque facie pilis simplicibus pluricellularibus vestita, densissime minutim rugosa, nervis secundariis haud manifestis, lente glauca, crassiuscula. rigida, fragilia, quae offert *Solenostemma Arghel* Hayne (Asclepiadaceae), a quibus mundanda est. **Senna Indica de Tinnevelly** excellit integritate foliolorum et absentia omnium partium alienarum prae ceteris mercibus Sennae.

Folia Sennae maceratione cum spiritu vini substantiis resinosis orbata sunt **Folia Sennae sine resina.**

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius. Electuarium lenitivum. Infusum Sennae cum Manna. Pulvis Liquiritiae compositus. Species laxantes St. Germain. Syrupus Sennae cum Manna.

Folia Stramonii.

Datura Stramonium Linn., planta annua, inter plantas ruderales obvia. *Solanaceae.*

Folia longe petiolata, ovata, decem ad quindecim centimetra longa, acuminata, inaequaliter sinuato-dentata, dentibus acutis porrectis, laevia, nitida, subglabra, superne saturate viridia, subtus pallidiora, in mesophyllo cellulis gregatim congestis, crystallos stellatas calcii oxalici gerentibus, odoris narcotici, saporis subamari, nauseosi, subsalsi.

Colligenda e planta florescente et siccata caute nec ultra annum servanda.

Folia Taraxaci.

Taraxacum officinale Wiggers, planta cosmospolita in vulgus nota. *Compositae.*

Folia radicalia lactescentia oblongo-lanceolata, in petiolum angustata, runcinata, laciniis triangulatis acutis acuminatisve, dentatis aut integerrimis, lacinio terminali plerumque palaeformi, laevia, nitida, glabra, interdum subvillosa, inodora, saporis amari.

Colligenda vere ante scapi floriferi perfectam evolutionem in solo pingui nascentia.

Extractum.

Folia Theae.

Thea Chinensis Linn., frutex in Indiae orientalis regno Assam indigenus, ibidem. in China nec non in Japonia, Java, Brasilia aliisque terris tropicis sedulo cultus. *Ternstroemiaceae.*

Folia diversimode praeparata et siccata. Duorum secundum colorem, aut nigricantem aut viridescentem praecipue distinctorum mercis generum, in officinis servetur optima prioris varietas. sub nomine „*Souchong*" prostans, folia majora et minora sistens, plerumque exacte convoluta in frustula subfusiformia, arcuata et curvata, fragilia, coloris e fusco nigricantis, odoris peculiaris grati, saporis amariusculi, modice adstringentis.

Aqua fervida emollita et explicata frustula ostendunt foliorum fragmenta ampliora aut folia subintegra oblonga vel oblongo-lanceolata, in petiolum brevem attenuata, apice obtusa vel emarginata, margine hamato-serrulata, apicibus denticulorum cartilagineis, subglabra, pilis parcissimis, longis, acutis, simplicibus, unicellularibus, in mesophyllo, praesertim ad fasciculos vasorum cellulis valde incrassatis sclerenchymatosis, mirum in modum formatis.

Cave ne sint adulterata foliis Theae, jam antea in usum domesticum adhibitis nec foliis aliarum plantarum.

Folia Trifolii fibrini.

Menyanthes trifoliata Linn., planta perennis palustris indigena. *Gentianaceae.*

Folia ternata, longe petiolata, petiolo vaginante, foliolis subsessilibus, ovalibus vel obovatis, quinque ad octo cen-

timetra longis, obtusis, integerrimis aut repando-subcrenatis, glabris, crassiusculis, laete viridibus, siccatis subtus nervum primarium praebentibus basi latum, collapsum, plerumque longitudinaliter plicatum, versus folioli apicem admodum decrescentem. Saporis sunt peramari.

Extractum. Species amaricantes. Tinctura amara.

Folia Uvae ursi.

Arctostaphylos officinalis Wimmer et Grabowski, fruticulus sempervirens, in montibus calcareis Europae crescens. *Ericaceae.*

Folia obovata vel spatulata, duodecim ad quindecim millimetra longa, apice obtusa aut rotundata, in petiolum brevem attenuata, integerrima, margine subdiaphano-cartilagineo, plano vel sub-revoluto, ciliato aut saepius glabro, in utraque parte laevia, nitentia, glaberrima, reticulato-venosa, nervis subtus prominentibus, superne depressis, crassa, coriacea, rigida, saturate viridia, subtus paulum pallidiora, inodora, saporis adstringentis et subamari. Siccata serventur.

Ne confundantur cum foliis *Vaccinii Vitis Ideae* (Linn.) margine remote serrulatis, subtus fusco-punctatis, neque cum foliis *Vaccinii uliginosi* (Linn.) membranaceis, subtus glaucis.

Fructus Anisi stellati.

Illicium anisatum Loureiro, arbor Chinae meridionalis. *Magnoliaceae.*

Carpidia sena usque octona horizontalia, circa columellam centralem verticillatim contigua, non raro adhuc pedunculo sursum arcuato et incrassato suffulta, plerumque inaequalia, a latere compressa, cymbiformia, apice brevi, obtuso, recto vel subimpresso, juxta suturam ventralem bivalvia, siccata, pericarpio sublignoso, extus rugoso, griseo-ferrugineo, intus laevigato, semine solitario compresso, ovali, testa nitida, castanea aut flavo-fusca, fragili vestito foeta, odore et sapore Anisi.

Cave ne si tinquinatus fructibus venenatis forma similibus sed minoribus *Illicii religiosi* Siebold, sub nomine *Anisi stellati Japonici* notis, praeterea dignoscendis annulo suberoso in ambitu cicatricis pedunculi recti, teretis, tenuioris, carpidiis pergamentaceis, magis ventricosis, in apicem acutum, tenuem, saepe subhamatum desinentibus, semine minus compresso, in extremitate hilo opposito saepe tuberculato, odore et sapore omnino differente, haud anisaceo, sed illo peculiari aromatico, hoc primum acri-acido, tum aromatico, denique amaro.

Species pectorales. Syrupus Sennae cum Manna.

Fructus Anisi vulgaris.

Pimpinella Anisum Linn., planta annua, in regione mediterranea orientali spontanea, in Europa meridionali culta. *Umbelliferae.*

Schizocarpia plane matura siccata, pyriformia, a latere subcompressa, quatuor ad quinque millimetra longa, setulis adpressis hirsuta, coloris e griseo viridescentis, mericarpiis plerumque cohaerentibus, quinquecostatis, costis aequalibus, subtilibus, pallidioribus, valleculis

plurivittatis, odoris peculiaris aromatici, saporis fervidi juncta dulcedine.

Sit quantum fieri potest stipitibus et glebulis terreis aliisque quisquiliis liber.

Cave ne merx commixta habeat schizocarpia *Conii maculati* (Linn.), quae facile distinguuntur superficie prorsus glabra, costis valde prominentibus undulato-crenulatis, valleculis evittatis, odore (humectatis kalio hydrooxydato) herbae Conii et sapore minime aromatico.

Spiritus. Decoctum Sarsaparillae compositum fortius. Pilulae laxantes.

Fructus Cardamomi.

Elettaria Cardamomum White et Maton, planta in silvis montanis Malabariae spontanea. *Zingiberaceae.*

Capsulae ovales aut oblongae, obtuse trigonae, rostello brevi, truncato, sursum tubulato coronatae, basi plerumque rotundatae et passim breviter pedicellatae, unum ad duo centimetra longae, pericarpio extus longitudinaliter striato, coloris straminei vel flavescentis, chartaceo, tenaci, triloculares, in singulis loculamentis plerumque seminibus quinque, irregulariter angulatis, transverse rugosis, hinc sulco exaratis, ex rubro fuscis, arillo tennerrimo membranaeco vestitis, duris, intus albis, amylaceis, odoris pergrati et intense aromatici, saporis fervide aromatici.

Adhibenda **Semina** rejecto pericarpio odoris et saporis experti. Rejiciatur merx minus aromatica sub nomine *Cardamomum longum* vel *Ceylanicum* nota, sistens capsulas multo validiores, plerumque arcuatas,

longius rostellatas, basi pedicellatas, pericarpio extus ex griseo fusco.

Decoctum Sarsaparillae compositum mitius. Spiritus aromaticus. Tinctura Rhei vinosa Darelli.

Fructus Carvi.

Carum Carvi L., planta biennis indigena, in pratis frequens et culta. *Umbelliferae.*

Schizocarpia plane matura siccata, ovalia, a latere valde compressa, quatuor ad quinque millimetra longa, laevia, glabra, plerumque separatis mericarpiis angustis, utrinque attenuatis, arcuatis, costis aequalibus filiformibus, albidis et valleculis latis, fuscis, univittatis, odoris peculiaris aromatici, saporis acri-condimentarii.

Sit quantum fieri potest stipitibus aliisque quisquiliis liber.

Spiritus. Aqua carminatica.

Fructus Cassiae Fistulae.

Cassia Fistula Linn., arbor in India orientali indigena, in regionibus calidis plantata. *Leguminosae. Caesalpinaceae.*

Legumina cylindrica indehiscentia, tria ad sex decimetra longa, unum et dimidium usque ad duo et dimidium centimetra crassa, pericarpio lignoso, extus fusco-nigricanti, nitido, laevi, intus septis transversis orbicularibus lignosis in loculos plurimos monospermos, pulpam atram, tenacem, saporis dulcis continentes, divisa.

Rejiciantur legumina pulpa mucida, insectis corrosa aut nimis exsiccata.

Pulpa.

Fructus Colocynthidis.

Citrullus Colocynthis Schrader, planta annua, in regione mediterranea, Africa tropica et Asia occidentali indigena et passim culta. *Cucurbitaceae.*

Baccae maturae siccatae, ab epicarpio coriaceo, luteo liberatae, magnitudinis Aurantii, globosae, pulpa levissima, exsucca, spongiosa, subflavido-alba, amarissima, sexloculatae, in sectione transversa cavo centrali triradiato hiante, inde facillime secedentes in tria segmenta verticalia biloculata, plurima semina ovata, compressa, non marginata, nitidula, coloris e subviridi fuscescentis continentia.

Seminibus remotis adhibeantur.

Extractum.

Fructus Coriandri.

Coriandrum sativum Linn., planta annua Europae australis, apud nos culta. *Umbelliferae.*

Schizocarpia plane matura siccata, globosa, intus cava, calyce quinquedentato coronata, quatuor ad quinque millimetra in diametro, ochroleuca vel fuscescentia, laevia, glabra, in ambitu decem costis primariis depressis, flexuosis et tantis costis secundariis prominentibus, carinatis, vittis inter costas nullis, in commissura geminis, odoris grate aromatici, saporis aromatici, subdulcis.

Aqua carminativa. Spiritus aromaticus.

Fructus Cubebae.

Piper Cubeba Linn. fil., frutex scandens in insulis Java et Sumatra spontaneus et cultus. *Piperaceae.*

Drupae submaturae siccatae, subglobosae, subapiculatae, quatuor ad quinque millimetra in diametro, basi attenuata, stipitiformi, usque ad centimetrum longa, monospermae, pericarpio tenui, fragili, extus grosse reticulato-rugoso, e griseo fusco, cujus endocarpium pallide fuscum solummodo cum basi seminis plerumque corrugati, cavum fructus non explentis, extus nigri, cohaeret, odoris peculiaris balsamici, saporis aromatici, subacris et subamari.

Extractum.

Fructus Foeniculi.

Foeniculum vulgare Gärtner, planta biennis Europae meridionalis, apud nos culta. *Umbelliferae.*

Schizocarpia plane matura siccata, oblongo-teretiuscula, sex ad octo millimetra longa, laevia, glabra, viridescenti-fusca, mericarpiis facile separabilibus plano-convexis, quinque-costatis, costis prominentibus, obtuse carinatis, stramineis, valleculis univittatis, odoris grate aromatici, saporis condimentarii, subdulcis.

Merci saepe fructus *Foeniculi dulcis* ([DC.] Fructus Foeniculi Romani) majores, ad duodecim millimetra longi, pallidiores, mericarpiis arcuatis, costis magis prominentibus subalatis, intermixti sunt.

Aqua. Aqua aromatica spirituosa. Aqua carminativa. Decoctum Sarsaparillae compositum fortius. Pulvis Liquiritiae compositus. Species laxantes St. Germain.

Fructus Juniperi.

Juniperus communis Linn., frutex vel arbusculus indigenus. *Coniferae. Cupressineae.*

Galbuli maturi globosi, carnosi, magnitudine pisi, apice tribus suturis et tantidem gibbis, basi duobus verticillis e ternis bracteolis triangularibus fuscis, integumento exteriore in recentibus nigro-violaceo, non raro glauco-pruinoso, in siccatis nigro-fuscescente, glabro, nitido, sarcocarpio pulposo, demum spongioso, e subviridi fusco, tribus nuculis ovali-oblongis, obtuse triquetris, verticalibus, fuscescentibus, osseis, nonnullis utriculis oleïferis instructis, odoris balsamici, saporis subdulcis et cum aliqua amaritudine aromatici.

Roob. Spiritus.

Fructus Lauri.

Laurus nobilis Linn. arbor sempervirens regionis mediterraneae. *Lauraceae.*

Drupae maturae siccatae unispermae, ovales, minoris cerasi magnitudine, pericarpio tenui, fragili, extus rugoso, ex fusco vel olivaceo nigro, cujus endocarpium fuscum, diaphanum cum integumento subtili seminis exalbuminosi connatum est, semine in cotylas geminas, fere haemisphaericas, oleoso-carnosas, coloris cinnamomei facile secedente, odoris peculiaris balsamici, saporis aromatici, amari et sub-adstringentis.

Emplastrum Meliloti.

Fructus Papaveris.

Papaver somniferum Linn., planta annua orientalis, apud nos frequentissime culta. *Papaveraceae.*

Capsulae virides, glauco-pruinosae, ante plenam maturitatem, quamdiu ex incisione succus lacteus stillat,

collectae et leni calore siccatae, nucis juglandis magnitudine, subglobosae vel ovatae, glabrae, stigmate sessili magno, plano, plurilobo coronatae, incomplete multiloculares, saporis nauseoso-amaricantis.

Adhibeantur remotis seminibus.

Syrupus.

Fructus Tamarindi.

Pulpa Tamarindorum cruda.

Tamarindus Indica Linn., arbor in India orientali et in aliis regionibus tropicis culta. *Leguminosae. Caesalpinaceae.*

Pulpa e leguminibus compressiusculis, septatis, indehiscentibus deprompta, sistit massam mollem, tenacem, nigram, odoris vinosi, saporis valde acidi, intermixtam fragmentis pericarpii crustacei, fragilis, flavo-fusci, fasciculis vasorum restiformibus tenacissimis seminibusque rotundato-angulatis, compressis, nitentibus, rubro-fuscis, singulis adhuc inclusis loculo sacciformi chartaceo.

Rejiciatur merx coloris fusci vel fusco-rubri, saporis acerbi aut subdulcis, odoris mucidi, consistentiae pultaceae, aeque ac quae nimia semina fragmentaque pericarpii continet.

Pulpa Tamarindorum depurata.

Fructus Vanillae.

Vanilla planifolia Andrews, planta scandens in Mexico indigena et hic ut in aliis regionibus intertropicis, maxime in insula Borboniae culta. *Orchidaceae.*

Capsulae uniloculares immaturae siccatae lineares, siliquaeformes, compressae, inferiore parte attenuatae et leviter curvatae, duo ad duo et dimidium decimetra longae, octo ad decem millimetra latae, pericarpio carnoso, fusco, extus longitudinaliter rugoso et sulcato, unguinose nitente, coloris atro-fusci, saepius crystallis albis splendentibus obtecto, flexiles, tenaces, cavo repletae massa granuloso-pulposa, atra, subpingui, semina innumera exigua, subglobosa, nigra, nitentia includente, odoris peculiaris fragrantissimi, pergrati.

Ne adhibeantur fructus minus aromatici nimio exsiccati, rigidi, fragiles, coloris clarioris, nec fructus maturi, dehiscentia aperti, nec fructus majores, multo latiores et plerumque breviores aliarum *Vanillae* specierum, ut sic dicta Vanilla de La Guayra et Vanilla Brasiliana.

Tinctura. Pasta Liquiritiae flava.

Fungus igniarius.

Fungus Chirurgorum.

Polyporus fomentarius Fries, fungus per omnem fere Europam mediam in truncis annosis, imprimis fagorum et quercuum nascens. *Hymenomycetes. Polyporei.*

Frusta mercabilia plana, tactu aequaliter mollia, flexibilia, coloris cinnamomei, e pileo fungi excissa, maceratione in aqua et tusione cum malleis ligneis praeparata, in vulgus notissima.

A merce kalio nitrico inpraegnata cave.

Galbanum.

Gummi-resina Galbanum.

Succus gummiresinosus aëre induratus, quem offerunt species *Ferulae* in Persia septemtrionali nascentes, verisimillime *Ferula galbaniflua* Boissier et Buhse et *Ferula rubricaulis* Boissier. *Umbelliferae.*

Prostat in granis discretis, pisi vel nucis juglandis magnitudine, subglobosis, extus coloris e flavo vel e subviridi fuscescentis, in fractura conchata coloris albidi vel subflavi, cerae instar nitentibus, in fragmentis tenuibus diaphanis, calore mollescentibus, aut in granis inter se conglutinatis, aut in massis compactis viridescenti-fuscis.

Odor gummi-resinae est peculiaris balsamicus, haud gratus, sapor aromaticus, acris et amarus. Trita cum aqua emulsionem albam praebet. Aqua Galbano superfusa, addita gutta una ammoniae, colore subcoeruleo fluorescit; acidum hydrochloricum gummi-resinae affusum brevi tempore colorem purpureum induit.

Eligatur merx purior, e granis vel e massis constans, quibus plurima grana pura insunt. Pulverandum et depurandum est Galbanum eodem modo ut Ammoniacum et Asa foetida.

Emplastrum oxycroceum.

Gallae.

Excrescentiae, in ramulis varietatis orientalis *Quercus Lusitanicae* (Webb) ictu *Cynipis Gallae tinctoriae* (Olivier) laesis nascentes, globosae, unum ad duo et dimidium centimetra in diametro, inferne paulum

attenuatae, glabrae, sursum tuberculoso-echinatae, nonnullae foramine laterali, duo ad tria millimetra amplo instructae, coloris griseo-subviridis, modo pallidioris, modo obscurioris, ponderosae, durae, substantia interna nunc solida, subcornea, nunc laxiore, granuloso-friabili, interdum radiata, coloris subfusci aut flavido-albidi, cavum centrale solitarium sphaericum continente, saporis admodum adstringentis.

Tinctura.

Gelatina animalis.

Gelatina purgata ex ossibus animalium obtenta. Sistit lamellas tenues, pellucidas, quae cum partibus 80 ad 100 aquae fervidae liquorem fere decolorem, limpidum et inodorum praebeant. Solutio refrigerata in gelatinam juste consistentem transeat.

Gelatina Liquiritiae pellucida.

Rpe: **Radicis Liquiritiae mundatae**
grammata quadraginta 40

Contusa infundantur cum
Aquae destillatae *grammatum tribus millibus.* 3000

In Colatura solve
Gummi Acaciae contusi
grammata mille 1000

et
Sacchari contusi *grammata octingenta.* 800

Solutio iterum colata leni igne evaporetur ad dimidium. Deinde spuma et pellicula supernatante accurate detractis adde

Aquae Aurantii florum

grammata quadraginta. 40

Massam infunde in capsulas chartaceas; siccam in frustula minora scinde.

Sit diaphana, e fusco-flava.

Glandulae Lupuli.

Lupulinum.

Humulus Lupulus Linn., suffrutex scandens, apud nos spontaneus et cultus, notissimus. *Cannabineae.*

Pulvis grossiusculus, inaequabilis, a strobilis plantae recenter siccatis ope cribri setacei separatus, coloris e viridi flavi, subglutinosus, odoris peculiaris fragrantis, saporis aromatico-amari, compositus praeter pauca fragmenta aliarum plantae Humuli partium e glandulis plerumque turbinatis, cupulaeformibus aut subglobosis, plus minusve vietis, magnitudine 0·140—0·230 millimetri, quorum singulae constant e sacculo cuticulari, in parte inferiore haemisphaerico cellulis minutis tabulatis polygonis obducto et oleo aethereo aut balsamo citrino repleto.

Merx combusta ne plus quam decem partes cineris e partibus centum relinquat. Ne ultra annum in vase bene clauso a luce remoto servetur. Merx vetusta, coloris aurantiaci aut rufescentis, odoris ingrati, caseo similis, rejicienda.

Globuli martiales.

Rpe: **Ferri pulverati** *grammata quadraginta* 40
Kalii hydro-tartarici pulverati
grammata ducenta. 200

Misce in sartagine ferrea cum
Aquae *s. q.,*
ut fiat massa pultiformis.

Digere saepius agitando et aquam evaporatam subinde restituendo donec ferrum, quantum fieri potest, solutum fuerit et massa pultem praebeat aequabilem, tenacem, e viridi-nigrescentem, pro maxima sua parte in aqua fervida solubilem.

Formentur Globuli, ponderis
grammatum triginta 30
qui leni calore exsiccati in vase clauso serventur.

Sint nigri, nitentes, cum aquae bullientis partibus octo solutionem e viridi-nigrescentem praebeant, residuo nonnisi parvo relicto.

Glycerinum.

Liquor syrupi consistentiae, limpidus, coloris et odoris expers, saporis dulcis, reactionis neutrius, in aqua et spiritu vini quavis proportione solubilis, in aethere non solvitur, ponderis specifici 1·25. In lamina platinea calefactum deflagrat, residuo non relicto.

Solutio aquosa nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec baryo nitrico, argento nitrico aut ammonio oxalico mutetur. Cum natrio hydrooxydato soluto Glycerinum calefactum nec coloretur, nec ammoniam emittat, cum acido sulfurico diluto fervefactum odorem insuavem rancidum ne prodat.

Unguentum.

Guarana.

Paullinia sorbilis Martius, arbor in Brasilia indigena. *Sapindaceae.*

Massae solidae, durissimae, ponderosae, cylindricae, botuliformes, unum ad duo decimetra longae, quatuor ad quinque centimetra crassae, e seminibus leni igne siccatis, pulveratis, cum aqua in pastam redactis formatae et siccatae, superficie obscure e rubro-fuscae, subnitidae, in fractura inaequali subgranulata fusco-rubrae, interdum fragmentis albidis seminum inclusis submarmoreae, pulverem praebentes carneum, saporis subadstringentis, amariusculi, qui, microscopio exploratus, constat e granulis minutis amyli compositi, partim integris, partim deformibus, conglomeratis et e cellulis parenchymaticis rotundatis aut rotundato-polyedris, membrana tumescenti albida, amylum in statu supra descripto includentibus.

Gummi Acaciae.

Gummi Arabicum.

Acacia Verek Guillemin et Perrottet et aliae *Acaciae* species, in terris ad Nilum superiorem sitis nascentes. *Leguminosae. Mimosaceae.*

Occurrit in frustis plus minus globosis, variae magnitudinis, duris, fragilibus friabilibusque, incoloribus, limpidis, diaphanis aut albidis, non pellucidis, rimulis innumerabilibus trajectis, quapropter facile dissilientibus in frustula inaequalia acutangula, in fractura conchoidea vitreo nitentia, non raro iridescentia.

Est Gummi inodorum, saporis fatui mucilaginosi. Cum pondere duplici aquae lente, sed ex toto solvitur ad mucilaginem adhaesivam subflavescentem, quae plumbo acetico, quavis proportione commixta, non turbatur, sed spiritu vini praecipitatur et solutione ferri sesquichlorati ad gelatinam rigidam concrescit. In solutione e parte una Gummi cum partibus quinque millibus aquae destillatae, plumbum aceticum basicum solutum sedimentum efficiat.

Mucilago. Mixtura gummosa. Pulvis gummosus. Emulsio oleosa. Pasta gummosa. Pasta Liquiritiae flava. Gelatina Liquiritiae pellucida.

Herba Absinthii.

Artemisia Absinthium Linn., planta perennis, in campis, ruderatis, ad vias et sepes passim frequens. *Compositae.*

Herba florida siccata, sistens folia et summitates. Folia denso tomento e pilis divaricato-bicuspidatis, intermixtis glandulis oleïferis, sericeo-incana, radicalia longe petiolata, triplicato-pinnatifida, caulina sensim brevius petiolata, bipinnatifida vel pinnatifida, laciniis lanceolatis aut spatulatis, floralia indivisa, lanceolata, sessilia. Anthodia parva, subglobosa, pedunculata, nutantia, solummodo flores tubulosos flavos in thalamo villoso gerentia, disposita in racemos axillares, paniculam elongatam terminalem formantes. Odor gravis aromaticus, sapor aromatico-peramarus.

Tinctura Absinthii composita. Emplastrum Meliloti. Species amaricantes. Unguentum aromaticum. Unguentum Juniperi.

Herba Canabis Indicae.

Cannabis sativa Linn., planta annua, in Perside et India orientali indigena, ibidem ac apud nos saepissime culta. *Cannabineae.*

Summitates plantae femineae florentis, partim jam fructiferae, nonnisi ex India orientali depromendae siccatae, adpresse pilosae, scabrae, massa resinosa excreta ad anthuros densos, foliatos, subcompressos conglutinatae, foliis floralibus plerumque simplicibus, lanceolato-linearibus, serratis, cymulis axillaribus confertis, bracteis lanceolatis, bifloris, bracteolis quemque florem vaginantibus ovato-lanceolatis, deinde fructum notissimum includentibus.

Odor praesertim herbae tritae aut paulum calefactae est peculiaris, narcoticus. Ope microscopii observantur numerosae glandulae oleïferae externae, subglobosae, vesiculosae et pili unicellulares validi, basi tumidi, cystolithiferi.

Extractum.

Herba Capilli Veneris.

Adiantum Capillus Veneris Linn., in Europae australioris rupibus humidiusculis nascens. *Filices. Polypodiaceae.*

Frondes tenellae siccatae, decompositae, stipite atrofusco, nitido, ramulis filiformibus, laciniis stipitatis, obovato-cuneiformibus, laete viridibus, eleganter flabellatim nervosis, superne inciso-lobatis, lobis crenatis, margine revoluto sorum linearem, indusio squamaeformi velatum, gerentibus.

Syrupus.

Herba Centaurii minoris.

Erythraea Centaurium Persoon, planta biennis in silvaticis montanis vulgaris. *Gentianaceae.*

Herba florida siccata ex toto glabra, caule subtetragono, inferne simplici, superne dichotomo, foliis oppositis, sessilibus, ovalibus, ovatis, obovatis aut ovato-lanceolatis, integerrimis, tri- aut quinquenerviis, laete viridibus, radicalibus in orbem dispositis, floribus regularibus pentameris, in cymis fasciculatis terminalibus, corolla rubella infundibuliformi, antheris defloratis plus minus spiralibus. Saporis est peramari.

Extractum. Species amaricantes. Tinctura amara.

Herba Chenopodii.

Chenopodium ambrosioides Linn., planta annua, in America tropica indigena, apud nos in hortis culta et passim subspontanea. *Chenopodiaceae.*

Herba florida siccata, caule herbaceo, ramoso, angulato-sulcato, foliis alternis, subpetiolatis, oblongis, utrinque acuminatis, ad decem centimetra longis, remote sinuato-dentatis aut subintegris, summis lineari-lanceolatis, integerrimis, tenuibus, puberulis, subtus glandulosis, laete viridibus, floribus parvis virescentibus, in glommerulis axillaribus, anthuros foliosos, densifloros, terminales componentibus. Odoris et saporis est grate aromatici, Menthae similis.

Herba Conii.

Conium maculatum Linn., planta biennis, in ruderatis, ad pagos, in hortis et cultis vulgaris. *Umbelliferae.*

Herba, incipiente florescentia colligenda, ubique glabra, foliis pluries pinnati-sectis, basi vaginantibus, inferioribus fistuloso-petiolatis, superioribus sessilibus, suboppositis, laciniis ultimis oblongis aut ovato-oblongis, inciso-serratis, lacinulis lanceolatis mucronulatis; floribus parvis, albis umbellatis, umbellis duodecim- ad viginti-radiatis, involucro polyphyllo, foliolis lanceolatis, inaequalibus, reflexis, involucellis tri- vel tetraphyllis dimidiatis, foliolis ovatis, acutis, margine membranaceis, albidis, basi connatis, brevioribus umbellula.

Herba marcescens est odoris peculiaris nauseosi, siccata vix odora, liquore kalii hydrooxydati humectata, illum odorem peculiarem recuperat. Caeterum a caule fusco- aut rubro-maculato ramisque validioribus liberata et siccata in vase bene clauso caute nec ultra annum servanda.

Ne confundas cum aliis umbelliferis ut inprimis cum *Chaerophyllo bulboso* (Linn.), caule inferne hirto, laciniis foliorum superiorum subcapillaceis, involucro nullo aut monophyllo, schyzocarpiis acicularibus et cum *Anthrisco silvestri* (Hoffm.), caule inferne hirsuto, foliis subtus ad nervos pilis albidis adspersis, involucro nullo, involucellis polyphyllis, haud dimidiatis, schizocarpiis oblongis, acutis dignoscendis.

Extractum. Emplastrum.

Herba Galeopsidis.

Galeopsis ochroleuca Lamarck, planta annua indigena, in agris arvisque arenosis Germaniae mediae et occidentalis vulgaris. *Labiatae.*

Herba florida siccata, concisa sub nomine **Theae Blankenheimensis** vel **Herbae Lieberianae** nota, caule

ramoso, saepe purpurascente, pilis adpressis albidis pubescente, ad geniculos haud tumido, foliis in petiolum attenuatis, ovatis, ovato-oblongis aut lanceolatis, grosse serratis, utrinque molliter pilosis, laete vel flavescenti-viridibus, venis subtus prominentibus albidis, supra depressis, floribus in verticillastris infra remotis, superne approximatis calyce quinque-dentato, dentibus subulatis subspinescentibus, glanduloso-pilosis, corolla quadruplo calyce longiore, ochroleuca, labio inferiore albo, basi macula sulfurea ornato.

Ne confundas cum herba *Galeopsidis versicoloris* (Curt.), plantae frequentissimae in nostris dumetis, lucis et nemoribus, caule ad geniculos tumido, setoso, foliis longe petiolatis, ovatis, hirsutis, corollis flavido-albidis, labio inferiore luteo, macula ampla violacea signato.

Herba Herniariae.

Herniaria glabra Linn. et *Herniaria hirsuta* Linn., plantae perennes aut biennes, in arenosis pascuis arvisve frequentes. *Caryophyllaceae.*

Herba siccata, caulibus laxis filiformibus, teretibus, ramosis, ramis alternis, breviter ramulosis, foliis parvis, subsessilibus, oblongis, ovatis aut obovatis, integerrimis, inferioribus oppositis, superioribus alternis, stipulis ovatis, scariosis, albidis, floribus exiguis, flavescenti-viridibus, in glommerulis multi- aut paucifloris axillaribus, saepe totum ramulum occupantibus, unde spicas oblongas foliosas referunt. Odor recentis herbae nullus, siccatae paulum similis herbae Meliloti.

Herba Lobeliae.

Lobelia inflata Linn., planta annua in America boreali spontanea et culta. *Lobeliaceae.*

Herba florida siccata, discissa nobis advecta in placentis valde compressis quadrangularibus, charta involutis, caule sulcato-anguloso, foliis alternis, oblongis aut ovatis, sessilibus vel breviter petiolatis, inaequaliter crenato-serratis, pubescentibus, floribus parvis, in racemum secundum foliosum terminalem dispositis, corolla sublabiata, pallide coerulea, vix longiore calyce limbo quinque-partito. Capsulae inflatae ovoideae, decemcostatae, circiter quinque millimetra in diametro, biloculatae, polyspermae, pericarpio chartaceo, extus flavo-fuscescente, inveniuntur commode in merce, cujus sapor est initio debilis, demum peracris.

Tinctura.

Herba Meliloti.

Melilotus officinalis Desrousseaux, planta biennis, in pratis et pascuis frequens. *Leguminosae. Papilionaceae*

Herba florida siccata foliis ternatis, alternis, longe petiolatis, foliolis duo ad quatuor centimetra longis, obovatis, oblongis aut oblongo-lanceolatis, obtusis aut truncatis, mucronatis, argute serratis, stipulis parvis, lanceolato-subulatis, floribus parvis, flavis, in racemos axillares, nudos, elongatos, secundos dispositis. Alae corollae longitudine circiter aequantes vexillum, superantes carinam, fructus ovati, mucronati, mono- vel dispermi, transverse rugosi, glabri, coloris straminei vel fuscescentis.

Odor herbae recentis exiguus, siccatae gravis aromaticus, odori seminis Tonco persimilis, sapor amariusculus, subsalsus.

Emplastrum. Species emollientes.

Herba Millefolii.

Achillea Millefolium Linn., planta perennis, in agris arvisque vulgaris. *Compositae.*

Herba florida siccata, foliis alternis, inferioribus petiolatis, superioribus semiamplexicaulibus, oblongis vel lineari-oblongis, bipinnatifidis, lacinis brevissimis lanceolatis aut filiformibus, plus minusve pilosis, subtus glandulosis, anthodiis parvis radiatis, floribus radii numero quinque albis vel rosaceis, floribus disci lutescentibus, in corymbum densum terminalem fastigiatum dispositis, odoris aromatici, saporis amaricantis, subadstringentis, subsalsi.

Herba nonnisi anthodiis bene evolutis in collibus apricis colligenda.

Herba Origani.

Origanum vulgare Linn., planta perennis, in silvaticis montosis, ad sepes et dumeta vulgaris. *Labiatae.*

Herba florida siccata, foliis oppositis, petiolatis, ovatis, acutis vel obtusiusculis, subintegerrimis, pubescen-

tibus, margine ciliatis. Flores breviter pedicellati, calyce subcampanulato, quinque-dentato corollaque bilabiata rosea vel purpurascente, congregati sunt in spicas breves, densas, sub-tetragonas, bracteis magnis, ovatis, glabris, plerumque violaceis instructas et in corymbum terminalem dispositas. Odor suavis, sapor aromaticus, subamarus.

Species aromaticae.

Herba Sabinae.

Summitates Sabinae.

Juniperus Sabina Linn., frutex vel arbusculus, in regione abietina et subalpina Europae centralis et australis spontanea, non raro cultus. *Coniferae. Cupressineae.*

Summitates ramorum siccati, ramulis coarctatis, foliis brevissimis, nunc quadrifariam subimbricatis, squamaeformibus, rhombeis, obtusiusculis, erecto-adpressis, nunc remotiusculis, patulis, rhombeo-lanceolatis, acuminatis, mucronulatis, subpungentibus, dorso convexo prope medium glandula oblongo-lineari impressa notatis, odoris gravis balsamici, saporis resinoso-amari et acribalsamici.

Caute nec ultra annum servetur.

Odore debiliore, ramulis magis patulis, foliis versus inferiorem dorsi partem glandula ovali vel subrotunda instructis, discernuntur summitates *Juniperi Virginianae* (Linn.), arboris apud nos non raro cultae, quibuscum hinc inde summitates Sabinae confunduntur.

Herba Serpylli.

Thymus Serpyllum Linn., suffruticulus indigenus, in pascuis, ericetis, campis et nemoribus vulgaris, mirum in modum varians. *Labiatae.*

Herba florida siccata, caule tenui procumbente, foliis oppositis, brevissime petiolatis, ovalibus, ovatis, oblongo-ovatis aut anguste lanceolatis, octo ad duodecim millimetra longis, integerrimis, basi ciliatis, utrinque glabris, subglabris aut plus minus villosis, subtus punctatis, floribus parvis, verticillato-capitatis vel verticillato-spicatis, calyce tubuloso, decemstriato, bilabiato-quinquedentato, corolla purpurea aut rubescente, bilabiata.

Odoris est grate aromatici, saporis aromatici et subamaricantis.

Herba Spilanthis.

Spilanthes oleracea Jacquin, planta annua, in America meridionali indigena, apud nos in hortis passim culta. *Compositae.*

Herba florida, caule ramoso, foliis oppositis, longe petiolatis, ovatis, basi obtusis, truncatis aut subcordatis, sex ad septem centimetra longis, repando-dentatis, margine cartilagineo-ciliatis scabris, obscure vel subfusco-viridibus, nitentibus, anthodiis solitariis, axillaribus, longissime pedunculatis, subglobosis vel obtuse conicis, tubulosis, discoïdeis, multifloris, receptaculo conico, flosculis aureis aut purpureo-fuscis.

Herba et recens et siccata masticata acerrima, urens, sialagoga.

Tinctura Spilanthis composita.

Herba Violae tricoloris.

Herba Jaceae.

Viola tricolor Linn., planta annua, in arvis et agris ubique obvia. *Violaceae.*

Herba florida siccata, caule triangulari, foliis petiolatis, sparsis, subrotundo-cordatis, ovatis aut ovato-oblongis, crenatis, stipulis magnis lyrato-pinnatifidis, petiolo longioribus, floribus axillaribus solitariis, longe pedunculatis, corolla impariter quinque-foliata, calcarata, parva, coloris albido-flavescentis aut subviolacei.

Hirudines.

Sanguisuga medicinalis Savigny *et Sanguisuga officinalis* Savigny. *Vermes. Hirudinea.*

Sanguisuga medicinalis, sic dicta **Hirudo Germanica,** supra olivacea, lineis longitudinalibus sex laete ferrugineis, plerumque nigro-punctatis, subtus e subviridi luteola, maculis nigris nebulosis, ante marginem luteum in lineam continuam confluentibus, segmentis corporis granuloso-asperis.

Sanguisuga officinalis, **Hirudo Hungarica** dicta, supra fusca, flava vel rutilans, lineis sex longitudinalibus ferrugineis, subtus olivacea, immaculata, linea utrinque laterali nigra notata, segmentis corporis laevibus.

Hirudinum pondus sit grammatis unius ad quinque. Ne ad sugendum antea sint adhibitae.

Haemopis Sanquisorba Savigny, ad sugendum inepta, distinguitur dorso irregulariter punctato, haud lineato.

Hydrargyrum.

Metallum liquidum, coloris argentei, ponderis specifici 13·56.

Ne sit tenax, nec metallis alienis inquinatum, inde destillatione ex integro evaporet.

Unguentum Hydrargyri.

Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.

Mercurius praecipitatus albus.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi**
grammata quinquaginta 50
solve in
Aquae destillatae *grammis mille.* 1000
Solutio filtrata immisceatur sub continua agitatione
Ammoniae *grammis septuaginta quinque.* 75
Praecipitatum enatum filtro collectum
Aquae destillatae frigidae
grammis quadringentis 400
quam citius lotum et expressum in loco obscuro sub temperatura ordinaria siccetur et in vase luci impervio servetur.

Pulvis albissimus, aqua insolubilis, acido diluto, sive nitrico, sive hydrochlorico, facile solvendus.

In tubo probatorio calefactus, quin liquescat, decomponitur et sine residuo avolet; cum natrio-hydrooxydato soluto mixtus colorem in flavum mutet et ammoniam exhalet.

Aqua sive spiritus vini quassando nihil ejus solvant; liquores filtrati aqua hydrosulfurata vel argento nitrico vix turbentur.

Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Mercurius sublimatus corrosivus.

Massa crystallina, alba, ponderosa, diaphana, saporis admodum metallici, aqua fervida, spiritu vini et aethere facile, aqua frigida difficilius solvitur. In tubo probatorio calefacta liquescit et ex integro sublimat.

Solutio aquosa, reactionis acidae, cum natrio hydrooxydato soluto sedimentum flavum demittit, acido nitrico acidulata, argento nitrico addito, praecipitatum album efficit.

Solutio aquosa, hydrogenio sulfurato saturata, praecipitatum nigrum deponit, quod aqua lotum et cum ammonia aequali volumine aqua diluta quassatum, liquorem filtrando praebeat, qui acido hydrochlorico acidulatus, sedimentum flavum, ex arsenico sulfurato compositum, vel addita aqua hydrosulfurata ne demittat.

Hydrargyrum bijodatum rubrum.

Deutojoduretum hydrargyri.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi**

grammata quadraginta 40

solve in

Aquae destillatae calidae *grammis sexcentis,* 600
solutioni filtratae adde
Kalii jodati *grammata quinquaginta* 50
in **Aquae destillatae** *grammis ducentis* 200
soluta.

Intime mixta stent, donec praecipitatum subsederit, quod filtro collectum, aqua destillata lotum, sub temperatura ordinaria siccatum. vase clauso luci impervio servetur.

Pulvis laete coccineus, in spiritu vini fervido nec non in aqua, quae kalium jodatum vel hydrargyrum bichloratum solutum tenet, ex integro solubilis. Calore liquescit et ignitus plane avolat, vapores emittens sub refrigeratione in crystallos flavas coëuntes, quae paullatim colorem rubrum induunt.

Solutio spirituosa sit decolor, reactionis neutrius, ammonia addita colore dumtaxat fusco inficiatur, minime vero turbetur.

Cum aqua destillata quassatus liquor filtratus argento nitrico vel aqua hydrosulfurata vix turbetur.

Hydrargyrum chloratum mite

praecipitatione paratum.

Calomel via humida.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *grammata centum* 100
solve in
Aquae destillatae *grammatum tribus millibus.* 3000

Solutioni filtratae tepidae inducatur gas acidi sulfurosi, quod in apparatu simili, qualis ad parandam aquam chlori descriptus est ex

Acidi sulfurici Anglicani *s. q.*

calefaciendo cum

Carbonibus ruditer tusis

elicitur, donec reactio cessat et liquor acido sulfuroso saturatus est. Miscella stet vase tecto in loco ad 70—80° calefacto. Horis aliquot elapsis, praecipatum filtro collectum aqua destillata optime elue et loco obscuro sicca.

Pulvis crystallinus, subtilissimus, coloris albi, reactionis neutrius, solutione natrii hydrooxydati nigrescit, in tubo probatorio ignitus ex integro sublimat, vapores rutilos ne edat.

Cum aqua destillata quassatus liquorem praebeat, qui nec aqua hydrosulfurata, nec baryo aut argento nitrico mutetur.

Servetur vase luci impervio.

Hydrargyrum chloratum mite

sublimatione paratum.

Calomel.

Massa crystallina, sublimatione obtenta, in pulverem subtilissimum redacta, optime aqua destillata fervida eluatur, dein loco obscuro siccetur.

Pulvis subtilissimus, flavide albus, in aqua, spiritu vini et aethere penitus insolubilis, ignitus sublimat, quin

liquescat. Cum solutione natrii hyrdooxydati nigrescit, ammoniam vero, vel solutione calefacta, ne exhalet.

Aqua destillata cum pulvere conquassata nihil ejus solvat, hinc liquor filtratus, aqua hydrosulfurata addita, vel post longius temporis intervallum nigro colore ne inficiatur, et in balneo aquae ad siccum evaporatus residuum vix relinquat.

Servetur vase luci impervio.

Hydrargyrum jodatum flavum.

Protojoduretum hydrargyri.

Rpe: **Hydrargyri** *grammata sedecim* 16
Jodi *grammata decem* 10

in mortarium vitreum immissa et spiritu vini concentrato humectata tere, donec globuli metallici disparuerint, curans ut massa inter triturationen maneat humida, demum spiritu vini lava et in loco umbroso sicca.

Sit pulvis e virescenti flavus, in aqua perpaullum solubilis, in spiritu vini et aethere insolubilis, igne prorsus avolat, lucis aditu decomponitur.

Cum acido sulfurico et mangano hyperoxydato calefactus vapores violaceos emittit.

Cum spiritu quassatus liquor obtineatur, qui filtratus aqua hydrosulfurata vix turbetur.

Servetur vase luci impervio.

Hydragyrum oxydatum flavum.

Mercurius praecipitatus flavus.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi**

grammata centum 100

solve in

Aquae destillatae tepidae *grammis mille.* 1000

Liquorem filtratum instilla solutioni limpidae ex

Kalii hydrooxydati *grammis quadraginta quinque* 45

in **Aquae destillatae** *grammis centum quinquaginta* 150

paratae.

Praecipitatum inde natum, aqua destillata perfecte lotum, in filtro collige et loco obscuro sicca.

Pulvis amorphus, luteus, in aqua vix, in acidis valde dilutis, aut hydrochlorico aut nitrico, facile solubilis, in tubo probatorio calefactus, oxygenium et vapores hydrargyrosos, minime vero nitrosos evolvat, residuum nullum derelinquens. Cum solutione acidi oxalici conquassatus in hydrargyrum oxalicum album mutetur.

Solutio aquosa, ope acidi nitrici effecta, argento nitrico vix turbetur.

Servetur vase luci impervio.

Hydrargyrum tannicum oxydulatum.

Pulvis subtilis, e viridi fuscus, in aqua insolubilis, addita solutione natrii hydrooxydati conquassando liquorem fuscum praebet et hydrargyrum demittit.

Cum aqua destillata conquassatus liquorem praebeat, qui filtratus coloris expers, nec aqua hydrosulfurata mutetur, nec ferro sulfurico admixto, si acido sulfurico concentrato superfunditur, colorem fuscum induat.

Continet in centum partibus circiter 42 partes Hydrargyri.

Hydromel Infantum.

Rpe: **Infusi Sennae cum Manna** *grammata tringinta* 30
Syrupi Sennae cum Manna *grammata decem.* 10
Misce.

Ichthyocolla.

Colla piscium.

Accipenser Huso Linn., *Accipenser stellatus* Pallas, *Accipenser Ruthenus* Linn., aliaeque species Accipenserum, pisces mare nigrum, Caspicum, fluminaque in ea aquas effundentia inhabitantes. *Ganoidea.*

Vesica natatoria, a tunica exteriore orbata et siccata, in lamellis subdecoloribus, diaphanis, iridescentibus, tenacissimis, flexilibus, fibroso-foliaceis, per longitudinem fissilibus, inodoris, insipidis.

Ichthyocolla in aqua aequaliter tumescit, evaditque impellucida et coloris albi; in aqua fervida et spiritu vini ex toto fere solvitur in liquorem admodum glutinantem, qui concentratus et refrigeratus gelatinam spissam praebet.

Emplastrum Anglicanum.

Infusa.

Infusa, quorum quantitas substantiae adhibendae a medico praescripta non est, in genere parentur ex parte una medicaminis ad partes decem colaturae efficiendae.

Attamen quantitas medicaminum, quorum dosis maxima definita est, semper a medico praescribatur. Ad parandum Infusum substantia concisa sive contusa in vase apto aqua fervida infundatur, dein interdum agitando vel per quinque minuta vaporibus balnei aquae calefiat, vel per quadrantem horae seponatur vase tecto. Liquorem refrigeratum cola et si opus est filtra.

Infusum Sennae cum Manna.

Infusum laxativum.

Rpe: **Foliorum Sennae Alexandrinae** *grammata viginti quinque* 25
Aquae destillatae fervidae *grammata ducenta* 200
infunde per quadrantem horae.
In colatura expressa solve
Mannae *grammata triginta quinque* 35
Clarificata et filtrata dispensetur.
Hydromel infantum.

Jodoformium.

Pulvis microcrystallinus, tactu pinguis, coloris citrini, odoris crocei, saporis ingrati jodum monentis. In aqua fere insolubilis, in spiritu vini, facilius adhuc in aethere

solvitur. Calefactus liquescit, decomponitur, vapores violaceos jodi emittens, residuum alcalinum ne relinquat.

Cum aqua destillata quassatus, liquor filtratione obtentus nec argento nitrico, nec baryo nitrico mutetur.

Servetur vase vitreo optime clauso.

Jodum.

Crystalli rhomboideae, plerumque lamellares, metallice splendentes, coloris e nigro grisei, odoris peculiaris, in aqua parum, in spiritu vini et aethere facilius colore fusco, in chloroformio colore purpureo solubiles. Calefactae liquescunt et vapores violaceos efformantes penitus avolant.

Solutio Jodi aquosa, cum natrio hydrooxydato admixtis guttis aliquot ferri sulfurici et ferri sesquichlorati soluti ad ebullitionem calefacta et tum acido hydrochlorico acidulata, colorem caeruleum ne induat aut ejusmodi sedimentum deponat. Eadem solutio, ammonia saturata et argento nitrico praecipitata, liquorem filtratione praebeat, qui acido nitrico acidulatus, turbidus nonnisi evadat, ne vero praecipitatum caseosum deponat.

Cave, ne Jodum aqua imbutum emas.

Tinctura. Syrupus Ferri jodati.

Kalium aceticum solutum.

Liquor Kalii acetici.

Rpe: **Kalii carbonici puri** *grammata septuaginta* 70

sensim ingere in

Acidi acetici diluti *grammata trecenta.* 300

Liquor calefiat ad acidi carbonici perfectam expulsionem, dein tantum sive kalii carbonici sive acidi acetici addatur, quantum ad perfectam neutralisationem requiritur.

Quo facto, liquor filtratus in balneo aquae evaporetur ad pondus spec. 1·20.

Liquor limpidus, decolor, fere neuter, addito ferro sesquichlorato soluto colorem intense rubrum trahit et acido tartarico abundante praecipitatum crystallinum demittit.

Solutio aqua diluta nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec acido nitrico acidulata, baryo nitrico mutetur, argento nitrico ad summum lactescat.

Kalium bromatum.

Crystalli albae, cubicae, inodorae, saporis salini pungentis, in aëre persistentes, facile in aqua, difficilius in spiritu vini solubiles. Solutio aquosa, reactionis neutrius, per additam aquam chlori colorem induit fusco-flavum, qui conquassando cum guttis aliquot chloroformii in hoc migret, relicta solutione aquosa decolore. Ansae fili platinei affixae flammam colore violaceo inficiunt.

Kalium bromatum, contritum in tabula porcellanea alba et tum acidi sulfurici diluti gutta una alterave humectatum, colorem flavum ne induat.

Solutio aquosa ne sit reactionis alcalinae, neque aqua hydrosulfurata, neque ammonio sulfurato mutetur, baryo nitrico addito acido nitrico vix turbetur. Cum guttis aliquot ferri sesquichlorati soluti et chloroformio quassata hoc colore violaceo ne inficiat.

Kalii bromati exsiccati decigrammata duo in aqua soluta àddito pauxillo kalii chromici, nec infra sedecim et dimidium (16·5) nec ultra septemdecim (17·0) centimetra cubica solutionis volumetrici argenti nitrici consumant, donec praecipitatum coloris rubri non amplius evanescit.

Kalium carbonicum crudum.

Contineat in centum partibus minimum partes 80 Kalii carbonici, hinc decigrammata duo salis venalis siccati minimum requirant centimetra cubica viginti tria et duas decimas (23·2 CC.) solutionis alcalimetricae, ut perfecte saturentur.

Kalium carbonicum purum.

Pulvis albus, reactionis alcalinae, aëre humido diffluens, in aequali pondere aquae prorsus et quidem limpide solubilis, acidis affusis effervescit, limbo flammae parum lucentis, ope fili platinei in ansam curvati admotus, flammam violaceo colore inficit.

Solutio aquosa, in solutionem argenti nitrici instillata, praecipitatum praebeat mere album, quod calore leniter aucto ne nigrescat et acido nitrico, perexiguo nonnisi residuo relicto, solvatur. Eadem salis solutio nec ammonio hydrosulfurato mutetur, nec, additis guttis aliquot ferri sulfurici et sesquichlorati, ad ebullitionem evecta et dein acido hydrochlorico supersaturata, sedimentum caeruleum efficiat.

Si solutio Kalii carbonici acido sulfurico diluto saturata super miscellam ex uno volumine acidi sulfurici concentrati et aequali quantitate ferri sulfurici soluti paratam affunditur, eo plano, quo liquores inter se contingunt, zona intermedia fusca ne adpareat.

Kalium carbonicum, ope acidi hydrochlorici superabundantis solutum et ad perfectam siccitatem evaporatum, residuum praebeat, quod acido hydrochlorico humectatum in aqua destillata penitus solvatur. Solutio obtenta nec aqua hydrosulfurata nec ammonia et ammonio sulfurato, nec baryo nitrico mutetur.

Contineat in centum partibus minimum partes 99·5 Kalii carbonici, quapropter decigrammata duo salis perfecte siccati ad minimum centimetra cubica viginti octo et octodecimas ejus partes (28·8 CC.) solutionis alcalimetricae decinormalis consumant, ut perfecte saturentur.

Servetur vase optime clauso.

Solutio arsenicalis Fowleri. Syrupus Rhei.

Kalium carbonicum solutum.

Liquor Kalii carbonici.

Rpe:	**Kalii carbonici puri**	*grammata centum*	100
	Aquae destillatae	*grammata ducenta.*	200

Solve. Liquor filtratus ponderis specifici sit 1·33.

Kalium chloricum.

Crystalli lamellares vel tabulaeformes, decolores, in aqua fervida multo facilius quam frigida, in spiritu vini

parum solubiles, cum acido hydrochlorico calefactae chlorum emittunt, ope ansae fili platinei flammae admotae hanc colore violaceo inficiunt.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio oxalico, nec baryo nitrico, neque argento nitrico mutetur.

Kalium hydrooxydatum.

Kali causticum. Lapis causticus.

Bacilli cylindrici, albi vel parum flavescentes, sicci, duri, valde caustici, aëre humescunt, in aqua frigida facillime solubiles. Solutio aquosa, acido tartarico supersaturata, praecipitatum crystallinum album demittit.

Kalium hydrooxydatum in spiritu vini diluto ex integro fere solvatur; in acido sulfurico diluto solutum et acido sulfurico concentrato, cui ferri sulfurici solutio adjecta est, superadditum zonam intermediam coloris fusci ne efficiat. Solutio aquosa, in acidum nitricum dilutum infusa, parum nonnisi effervescat et addita solutione sive baryi nitrici sive argenti nitrici vix turbetur.

Servetur vase optime clauso.

Kalium hydrotartaricum.

Tartarus depuratus. Cremor tartari.

Crustae crystallinae, albae, sive pulvis albus, crystallinus, saporis acidi, acerbi, in aqua frigida difficile, in viginti

partibus bullientis solubilis. Fervefactus odorem sacchari tosti spargit, carbonescit et massam alcalinam relinquit, quae ope fili platinei flammae admota, hanc colore violaceo inficit. Solutioni kalii carbonici immixtus sub effervescentia solvitur.

Pulvis salis cum aqua destillata quassatus, liquorem praebeat, qui filtratus nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec, acido nitrico diluto addito, baryo nitrico mutetur, argento nitrico tantummodo leviter opalescat. Cum kalio hydrooxydato calefactus ammoniam ne emittat.

Electuarium lenitivum. Species laxantes St. Germain.

Kalium hypermanganicum.

Crystalli prismaticae, coloris intense violacei, metallice splendentes, saporis parum adstringentis, in aquae partibus sedecim circiter solubiles; solutio aquosa, coloris e caeruleo rubri, variis substantiis et mineralibus et organicis, oxygenii appetentibus decomponitur, hinc solutione ferri sulfurici, adjecto acido sulfurico diluto, decoloratur. Kalio hydrooxydato calefacta color solutionis in viridem mutetur.

Gramma dimidium Kalii hypermanganici, cum grammis duobus spiritus vini concentrati et viginti quinque aquae ad ebullitionem fervefactum, filtratum decolorem praebeat, quod baryo nitrico vel argento nitrico vix turbetur, nec acido sulfurico concentrato et solutione ferri sulfurici addito, zonam rubro-fuscam exhibeat.

Servetur vase optime clauso luci impervio.

Kalium jodatum.

Crystalli cubicae, decolores, in aëre immutabiles, facillime in aqua, facile in spiritu vini solubiles. Solutio aquosa, reactionis fere neutrius, cum parva quantitate aquae chlori mixta flavescit et chloroformium adjectum quassando colore violaceo tingit; eadem acido tartarico abunde addito paullatim sedimentum album crystallinum demittit.

Crystalli pulveratae, acido sulfurico diluto humectatae, nec effervescant nec colorem flavum induant.

Solutio aquosa nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec baryo nitrico turbetur. Praecipitatum pallide flavum, quod ex solutione ope argenti nitrici obtinueris, cum ammonia quassatum liquorem praebeat, qui filtratus et acido nitrico acidulatus turbidus nonnisi evadit, non vero praecipitatum deponit. Solutio aquosa pauxillo ferri sulfurici et sesquichlorati adjecto et kalio hydrooxydato soluto mixta, dein leniter calefacta denique acido hydrochlorico saturata, colorem caeruleum ne exhibeat.

Kalium Natrio-tartaricum.

Sal Seignetti. Tartarus natronatus.

Crystalli prismaticae, decolores, pellucidae, aqua frigida facile et perfecte solubiles. Calefactae liquescunt, aquam crystallinam emittunt, calore aucto odorem sacchari tosti spargunt et in massam atram convertuntur, quae humectata reactionem alcalinam praebet et flammam

flavo colore tingit. Solutio aquosa, addito acido acetico diluto, sedimentum demittit album, crystallinum, in acido hydrochlorico nec non in solutione kalii hydrooxydati solubile.

Solutio aquosa nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico, necque addito acido hydrochlorico baryo nitrico mutetur; ope acidi nitrici acidulata argento nitrico adjecto tantummodo leniter lactescat.

Sal cum solutione kalii hydrooxydati calefactus ammoniam ne emittat.

Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

Kalium nitricum.

Nitrum depuratum.

Pulvis crystallinus vel crystalli prismaticae decolores, in aëre persistentes, aqua bullienti facillime solubiles.

Solutio aquosa, acido tartarico addito, sedimentum album crystallinum demittit, eadem adjecto ferro pulverato et acido sulfurico concentrato vapores nitrosos evolvit, simul ac liquor colore nigro fusco inficitur.

Solutio aquosa nec aqua hydrosulfurata, nec baryo nitrico mutetur, argento nitrico vix turbetur.

Kalium sulfuratum.

Hepar sulfuris kalinum.

Rpe:	**Sulfuris depurati**	*grammata quinquaginta*	50
	Kalii carbonici puri	*grammata centum.*	100

Intime mixta in crucibulo porcellaneo tecto leni igne liquescant, donec effervescentia peracta massa transquille fluat et portio exempta in duabus partibus aquae perfecte solvatur. Tum massam effunde et refrigeratam statim in vase bene claudendo serva.

Sit coloris e fusco citrini, hydrogenium sulfuratum redolens, in aqua et spiritu vini facile solubile. Solutio aquosa, acido acetico diluto supersaturata, hydrogenium sulfuratum secedente sulfure evolvit, filtratum, acido tartarico addito, sedimentum album crystallinum demittit.

Kalium sulfuratum pro balneo.

Simili modo e Kalii carbonici crudi partibus duabus et Sulfuris sublimati parte una paretur et servetur ut Kalium sulfuratum.

Sit maxima parte in aqua solubilis et praebeat liquorem opalescentem, alcalinum, hydrogenium sulfuratum redolentem, coloris e flavo viridis.

Servetur vase optime clauso.

Kamala.

Mallotus Philippinensis Müller Arg., arbor in India orientali latissime distributa. *Euphorbiaceae.*

Indumentum glanduloso-pilosum capsularum arboris, deterendo separatum. Pulvis subtilis, levis mollisque, non glutinosus, rubiginosus, intermixtis portionibus luteis aut aurantiacis, odoris et saporis expers, sub digitis aut

in charta tritus, colore flavo tingens, compositus e glandulis minutis, depresso-subglobosis, aliqua ex parte moriformibus, diametro 0·04—0·10 millimetri, quae cellulas clavatas leptodermas, radiatim dispositas continent, massae resinosae rubrae nitenti insertas, et e pilis fasciculatis pachydermis.

Kamalae centum partes combustae ne relinquant plus quam partes sex cineris griseo-albidi.

Cave ne sit inquinatum partibus aliarum plantarum neve, quod nunc quam maxime occurrit arena, bolo aut pulvere latericio.

Kreosotum.

Liquor limpidus, oleaceus, lucem refringens, decolor sive flavescens, odoris penetrantis fumidi, ponderis specifici 1·03—1·08, ne quidem sub temperatura — 20° in massam solidam rigescens. Cum aethere et spiritu vini limpide miscetur, aquae fervidae circiter partes centum viginti exposcit, ut limpide solvatur; solutio refrigerata primo turbatur, tum guttis olei secedentibus limpida evadit, pauxillo ferri sesquichlorati addito denuo turbatur et colorem e griseo viridem aut caeruleum, brevi evanescentem trahit, flocculos subflavescentes demittens. Kreosotum ammonia solutum et addito argento nitrico ad ebullitionem calefactum, liquori colorem laete viridem tribuit, simulac paries tubi probatorii lamella argenti inducitur.

Kreosotum cum decem voluminibus ammoniae conquassando mixtum ne ultra quartam sui voluminis partem diminuatur.

Lactucarium.

Lactuca virosa Linn., planta perennis indigena, passim culta. *Compositae.*

Succus lacteus siccatus, prostat in frustis deformibus, summum nucis juglandis magnitudine, superficie gibbosis et asperis, aut in segmentis majoribus sphaericis compactis, superficie laeviusculis, extus opacis, coloris fusco-flavi aut fusci, cultro cerae instar scindendis, in sectione albidis aut cinereis, cerae instar nitentibus, pulverem fusco-flavum praebentibus, odoris peculiaris narcotici, saporis peramari, sub masticatione dentibus aliquantulum adhaerentibus.

Lactuarium dificile conteri potest, neque aqua, nisi addito Gummi Acaciae, emulsionem fuscam praebet. Aqua coctum mollescit in massam tenacem; liquor filtratione obtentus, limpidus, fuscescens, addito jodo ne coloretur. In spiritu vini et aethere solummodo ex parte solvitur; solutio spirituosa ferro sesquichlorato ne mutetur. In cinerem redactum residui ne plus quam ex centum partibus decem relinquat.

Lanolinum.

Massa unguinosa, alba, odoris fere expers, reactionis neutrius, balneo aquae exposita liquescit et in duo strata aquosum unum, adiposum alterum sejungitur.

Lanolinum aqua privum in aethere, benzolo et chloroformio perfecte, in spiritu vini concentrato dificilius et nonnisi ex parte solvitur, in aqua insolubile est.

Solutio Lanolini ope chloroformii effecta, in tubo probatorio acido sulfurico concentrato superfusa, zonam intermediam laete fusco-rubram praebet, stratum acidum inferius colore viridi fluorescit.

Lanolinum cum natrio hydrooxydato soluto calefactum ne edat vapores reactionis alcalinae.

Grammata decem Lanolini, balneo aquae perfecte siccata, ne plus quam grammata tria ponderis perdant.

Grammata duo Lanolini in benzolo puro soluta, additis guttis quinque solutionis phenolphtalëini, ne plus quam 0·2 centimetra cubica solutionis acidimetricae exposcant, ut liquor constanter rubicetur.

Lanolini grammata decem cum grammis quinquaginta aquae destillatae in balneo aquae calefacta, stratum oleosum limpidum Lanolini aqua privi sejungunt, stratum aquosum filtratione separatum et tum evaporatum ne plus quam centigramma unum residui praebeat.

Lanolinum ignitum ne plus quam partem 0·1 pro centum residui relinquat.

Unguentum Hydrargyri.

Lichen Islandicus.

Cetraria Islandica Acharius, in Europa boreali, in montibus celsioribus Europae mediae et australis gregatim ad terram nascens. *Lichenes. Ramalineae.*

Thallus erectus subfoliaceus, irregulariter dichotomoramosus, laciniis nunc latioribus, nunc angustioribus, canaliculatis vel subplanis, interdum crispatis, in utraque

facie glaber, margine dentato-ciliatus, coloris olivacei, subfusci aut castanei, passim albo-grisei et ad basim canaliculatam ut plurimum coloris albi et sanguinei, in statu sicco cartilagineus, rigidus, strepens, in statu humido coriaceus.

Membranae hypharum, thallum constituentium, addita solutione jodi aquosa, colorem caeruleum trahunt. Cum aqua coctus, Lichen Islandicus liquorem mucilaginosum peramarum praebet, qui satis concentratus post refrigerationem in gelatinam coit.

Sit merx a quisquiliis aut muscorum fragmentis admixtis liberatus.

Lignum Guajaci.

Guajacum officinale Linn., arbor in America tropica, inprimis in insulis Antillanis crescens. *Zygophyllaceae.*

Lignum compactum, valde ponderosum et durum, irregularissime fissile, occurit in segmentis trunci et ramorum magnis, cortice destitutis, alburno pallide subflavo, duramine fusco-virescente, resinoso, in sectione transversa zonis subconcentricis, per vices coloris saturatioris et dilutioris, punctatis aperturis vasorum, massa resinosa impletis solitariis, radiisque medullaribus inter se proximis, subtilissimis. Calefactum Lignum Guajaci odorem resinae Benzoes spargit.

Rasura venalis ne sit mixta frustulis albidis ex alburno vel e lignis alienis derivantibus.

Species Lignorum.

Lignum Haematoxyli.

Lignum Campechianum.

Haematoxylon Campechianum Linn., arbor in America centrali indigena. *Leguminosae. Caesalpinaceae.*

Duramen trunci, prostans in codicibus magnis, cortice et alburno albido destitutis, extrinsecus e caeruleo atris, intus e fusco rubris, ponderosum, durum, in fissura grosse fibrosum, in sectione transversa zonis subconcentricis undulatis, per vices colore saturatiore et dilutiore et radiis medullaribus inter se proximis subtilissimis ornatum, saporis subdulcis, subadstringentis, inter masticandum salivam colore violaceo tingens.

In officinis merx prostat scissa in ramenta et scobes, extrinsecus interdum nitore ex aureo-viridescente praedita.

Lignum Juniperi.

Juniperus communis, vide: *Fructus Juniperi.*

Lignum e trunco, ramis et radice desumptum in frustis plerumque longitudinaliter fissis, cortice tenui, extrinsecus griseo, intus ferrugineo, fibroso indutum, satis compactum, facile fissile, coloris albidi, ochroleuci vel rubelli, in sectione transversa zonis cujusque anni concentricis, aperturis vasorum ductibusque balsamiferis carentibus, accensum odorem gratum balsamicum spargens.

Lignum radicis ligno ramorum et inprimis trunci praestantius habetur.

Species Lignorum.

Lignum Quassiae.

Quassia amara Linn., frutex aut arbuscula Americae tropicae. *Simarubaceae.*

Lignum trunci et ramorum (Lignum Quassiae Surinamense) in segmentis cylindricis, policis ad brachii crassitudine, vix crassioribus, plerumque cortice tenui, unum ad unum et dimidium millimetrum crasso, facile separabili, extus laevi, griseo aut subfusco, passim nigrescente-punctato, fibroso obtectis, albidum vel subflavescens, leve, facile fissile, tenuiter fibrosum, tenacissimum, in sectione transversa radiis medullaribus tenerrimis, approximatis annulisque subconcentricis angustis, instructis vasorum aperturis plerumque binis aut ternis aggregatis, sub forma punctorum albidorum. Saporis est amarissimi, diu faucibus haerentis.

Lignum *Simarubae excelsae* (DC.), arboris inprimis insularum Indiae occidentalis, sic dictum Lignum Quassiae Jamaicense, prostans in segmentis validioribus, diametro usque ad tria decimetra et ultra, cortice ad unum centimetrum crasso, duro, rigido, lignoso, plerumque arcte adhaerente tectis, caeterum parum differens nec virtute medica ligno Quassiae amarae cedens, etiam adhiberi licet, ne vero adhibeatur rasura venalis.

Extractum.

Lignum Santali rubrum.

Pterocarpus santalinus Linn. fil., arbor Indiae orientalis. *Leguminosae. Papilionaceae.*

Duramen trunci, liberatum a cortice et ab alburno albido, prostans in codicibus et segmentis per longitudinem

scissis, magnis, extus coloris fusco-rubri, passim atro-subviolacei, ponderosum, durum, compactum, sed facile fissile, in fissura grosse et oblique fibrosum, sericeo-nitens, coloris saturate sanguinei. Sectio transversa probat zonas subconcentricas latiusculas, coloris saturatioris, orificiis vasorum amplis, parum numerosis, plerumque solitariis, transverse conjunctis lineis brevibus, undulatis, una cum radiis medullaribus subtilissimis, approximatis coloris dilutioris.

Odor ligni triti vel fricati est subaromaticus. Aqua frigida fere nihil solvit, spiritus vini autem facile pigmentum rubrum extrahit; solutio spirituosa, addito ferro sesquichlorato, colorem violaceum induit.

Species Lignorum.

Linimentum ammoniatum.

Linimentum volatile.

Rpe:	**Olei Olivae**	*grammata centum et sexaginta*	160
	Ammoniae	*grammata quadraginta.*	40

Misce in lagena vitrea fortiter conquassando.

Linimentum saponato-camphoratum.

Opodeldoc.

Rpe:	**Saponis Veneti concisi**	*grammata quadraginta*	40
	Saponis communis albi concisi	*grammata octoginta*	80
	Spiritus Vini diluti	*grammata quingenta.*	500

Digere ad solutionem, cui filtratae adde

Olei Lavandulae		
Olei Rosmarini	*aa grammata quinque*	5
Ammoniae	*grammata viginti*	20
Camphorae	*grammata decem.*	10

in Spiritus Vini concentrati *s. q.*
solutae.

Misce et in vasis bene obturatis serva.

Liquor acidus Halleri.

Mixtura sulfurica acida.

Rpe: **Spiritus Vini concentrati**
grammata septuaginta quinque 75
Acidi sulfurici concentrati
grammata viginti quinque. 25

Instilla acidum in spiritum, caute movendo, ut temperatura 50° non superetur.

Sit liquor limpidus, flavescens, saporis acidissimi, corrosivi, odoris spirituoso-aetherei.

Servetur in vase epistomeo vitreo clauso.

Liquor Ammoniae anisatus.

Spiritus salis ammoniaci anisatus.

Rpe: **Spiritus Vini concentrati**
grammata viginti quatuor 24

Olei Anisi	*gramma unum*	1
Ammoniae	*grammata quinque.*	5

Mixta serventur in vase bene clauso.

Lithium carbonicum.

Pulvis albus, candefactus liquescens, in partibus 150 aquae solubilis; solutio est reactionis alcalinae.

Acido hydrochlorico diluto sub effervescentia solvitur; solutio ad siccum evaporata, residuum praebet in spiritu vini et aethere facile et perfecte solubile. Pulvis sive ejus solutio flammae colorem coccineum impertit.

Solutio aquosa, acido nitrico acidulata, nec baryo nitrico, nec argento nitrico, neque ammonia abundante addita, ammonio sulfurato aut ammonio oxalico turbetur.

Lycopodium.

Lycopodium clavatum Linn., fruticulus repens, in silvis montanis crescens. *Lycopodiaceae.*

Sporae e spicis fructiferis maturis excussae et per cribrum trajectae, sistunt pulverem subtilissimum, pallide flavum, maxime mobilem, tactu mollem, digitis adhaerentem, flammae inspersum celerrime cum strepitu, fulminis instar, sine fumo deflagrantem, odoris saporisque expertem, constantem e cellulis minutissimis, magnitudine 0·029 ad 0·032 millimetri, tetraëdro-sphaericis, pyramides exhibentibus trigonas, basi valde convexa reticulato-costatas, quarum anguli laterales apice in tres suturas excurrunt.

Cum aqua aut chloroformio conquassatum Lycopodium superficiei innatat, neque quidquam in liquore ipso relinquit; in aqua coctum demergit. Partes ejus centum combustae minus quam partes quinque cineris relinquant.

Sit a quisquiliis et arena liberum, nec inquinatum polline pinorum, saturatius flavo, sub digitis trito terebin-

thinam redolente, aut polline coryli aliarumque plantarum, sub microscopio forma cellularum differenti, neque amylo, forma granorum et reactione jodi facile discernendo.

Macis.

Myristica fragrans Houttuyn, arbor in insulis Moluccis crescens. *Myristicaceae.*

Arillus semen obducens, recens carnosus, sanguineus, siccatus exhibet tunicam subcarnosam, luteo-coccineam, fragilem, pinguiter nitentem, tactu pinguem, basi campanulata perforatam, sursum laceram et irregulariter multifidam, laciniis linearibus, apice denticulato-incisis.

Obvenit in mercatura aut integer, compressus, aut in fragmentis. Odor peculiaris grate aromaticus, sapor fervide aromaticus.

Aqua aromatica spirituosa.

Magnesium carbonicum.

Magnesia alba.

Massa pulverulenta levissima, alba, in aqua fere insolubilis, in acido sulfurico diluto sub effervescentia solvitur, solutio coloris expers, addita miscella, ex ammonia, ammonio chlorato et natrio phosphorico composita, sedimentum album crystallinum demittit.

Magnesium carbonicum aqua destillata conquassatum, coctum et filtratum liquorem praebeat, qui ad siccum evaporatus, perexiguum dumtaxat residuum relinquat.

Solutio aquosa ope acidi acetici effecta nec aqua hydrosulfurata nec, si ammonium chloratum et abunde ammoniam addideris, ammonio sulfurato mutetur; eadem

nec baryo nitrico nec, addito acido nitrico, argento nitrico confestim turbetur, ammonio oxalico praesente ammonio chlorato perexiguum nonnisi vel nullum praecipitatum efficiatur.

Magnesium citricum effervescens. Potio Magnesii citrici effervescens. Pulvis dentifricius albus.

Magnesium citricum.

Rpe: **Acidi citrici** *grammata quinquaginta* 50
in vase porcellaneo cum
Aquae destillatae *grammis centum quinquaginta* 150
calefiant usque ad ebullitionem et partitis vicibus ingerantur
Magnesii carbonici
grammata triginta quinque. 35

Effervescentia peracta stet solutio in balneo aquae per quadrantem horae et adhuc calida filtretur. Liquor seponatur in locum frigidum per viginti quatuor usque triginta sex horas. Massa inde enata caseosa expressione per pannum a liquido separetur et contrita, temperatura 25° non excedente, siccetur atque in pulverem redigatur.

Sit albidus, fere insipidus, reactionis acidulae, in aqua bullienti facile solubilis.

Magnesium citricum effervescens.

Rpe: **Magnesii carbonici** *grammata viginti quinque* 25
Acidi citrici grosse pulverati
grammata septuaginta quinque 75
cum
Aquae destillatae *grammis decem* 10

mixta, calore 30° siccata et in pulverem subtilem redacta commisceantur cum

Natrii hydrocarbonici pulverati

grammis octoginta quinque 85

Acidi tartarici pulverati

grammis quadraginta 40

Sacchari pulverati *grammis viginti.* 20

Tum mixtio, spiritum vini concentratum guttatim instillando et pistilli ope leniter terendo, in massam grosse granulosam redigatur, quae leni calore siccata, trajiciendo per cribrum, in pulverem aequabilem, grosse granulosum convertitur.

Servetur in vase bene clauso.

Magnesium oxydatum.

Magnesia usta.

Rpe: **Magnesii carbonici** *q. v.*

Imprime in vas figulinum non vitreatum, donec fere repletum fuerit, operculo figulino imposito calefiat, usque dum pars e medio massae exempta, cum aqua mixta, acido sulfurico diluto affuso non amplius effervescit.

Massa refrigerata statim vase optime clauso servetur.

Pulvis albus, levis, in aqua fere insolubilis, reactionis alcalinae, aëri expositus aquam et acidum carbonicum adtrahit, cum aqua tepida in pultem tenuem redactus, brevi tempore in gelatinam abit. Acido hydrochlorico diluto sine effervescentia solvitur; solutio decolor, addita miscella ex ammonio chlorato et am-

monia parata, natrio phosporico sedimentum album crystallinum demittit.

Caeterum se erga reagentia praebeat ut Magnesium carbonicum.

Magnesiae ustae minimum *grammata centum quinquaginta* (150) semper prompta sint. Aptis intervallis exploretur, num acido hydrochlorico addito effervescat, quod si accidisset, praeparatum modicae ignitioni subjiciatur.

Inservit aqua tepida mixtum qua **Antidotum Arsenici albi.**

Magnesium sulfuricum.

Sal amarus.

Crystalluli prismaticae, albae, in aëre parum fatiscentes, aqua frigida facillime solubiles. Solutio aquosa, reactionis neutrius, addito baryo nitrico sedimentum album, in acidis insolubile demittit, nec non natrio phosphorico praesente ammonio chlorato et ammonia praecipitatum crystallinum praebet.

Solutio aquosa nec aqua hydrosulfurata, nec adjectis ammonio chlorato et ammonia, ammonio sulfurato mutetur; eadem acido nitrico acidulata argento nitrico vix turbetur.

Magnesium sulfuricum cum aqua et baryo carbonico excedente coctum liquorem praebeat, qui filtratus et ad siccum evaporatus, residuum aqua solubile, alcalinae reactionis ne relinquat.

Magnesium sulfuricum loco tepido sive balneo aquae interdum agitando expositum, demum ultra 100° calefactum, donec triginta sex circiter partes centesimas ponderis amiserit, in pulverem album subtilem dilabitur, qui sub nomine

Magnesium sulfuricum siccum (dilapsum)
praesto sit.

Maltum.

Fructus *Hordei* incipiente germinatione ope caloris siccati, coloris flavido-fuscescentis, saporis dulciusculi et farinacei.

Manna.

Fraxinus Ornus Linn., arbor in Europa australiore indigena, in Sicilia culta. *Oleaceae.*

Succus saccharinus e truncis vulneratis arboris cultae effluens, aëre induratus et siccatus, aut occurrit in frustis crystallinis planiusculis, subcanaliculatis vel subprismaticis, obsolete trigonis, siccis, friabilibus, decimetrum et ultra longis, duo ad quatuor centimetra latis, coloris albidi vel subflavescentis, saporis pure dulcis, **Manna cannulata**; aut sistit massam grumosam, quae constat e frustulis et granis qualitatis jam descriptae conglobatis vel substantia molli subfusca inter se conglutinatis, saporis haud minus dulcis simulque cum quadam acredine, **Manna communis**.

Infusum et Syrupus Sennae cum Manna.

Massa Pilularum Ruffi.

Rpe:	**Aloës**	*grammata sexaginta*	60
	Myrrhae	*grammata triginta*	30
	Croci	*grammata decem.*	10

Pulverata optime mixta serventur in vase bene clauso.

Mastiche.

Resina Mastix.

Pistacia Lentiscus Linn., arbor in insula Chios culta. *Anacardiaceae.*

Saccus resinosus e truncis vulneratis effluens, aëre induratus, sistit grana plerumque globosa et subglobosa, piperis vel pisi magnitudine, clara, pellucida, coloris subcitrini, in fractura conchata vitri instar splendentia, friabilia, in merce non satis recente superficie pulverulenta, odoris et saporis debilis balsamici, masticata massam albam, dentibus adhaerentem praebentia.

Mastiche in spiritu vini concentrato temperatura ordinaria pro maxima parte, in aethere penitus solvitur.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Mel crudum.

Sit consistentiae spissioris, coloris flavescentis, odoris mellis peculiaris et saporis dulcis, non acris.

Pars una mellis cum duabus partibus aquae mixta, liquorem fere neutralem praebeat ponderis spec. 1·110, qui filtratus, superaffuso spiritu vini absoluto, inter duo strata zonam lacteam ne praebeat.

Pars una acidi sulfurici concentrati cum superaffusa parte aequali solutionis mellis aquosae, eo strato, quo ambo liquores se tangunt, colorem fuscum aut nigrum ne statim producat.

Mel depuratum.

Mel depuratum.

Rpe: **Carrageen** *grammata quatuor* 4
Aquae destillatae *grammatum duo millia.* 2000

Calefac in lebete usque ad ebullitionem, adde

Mellis *grammatum duo millia.* 2000

Coquantur leni igne per quadrantem horae, spumam ope cochlearis despumatorii separando; liquor adhuc calidus per manicam panneam coletur et ad consistentiam syrupi spissioris evaporetur.

Serva in loco frigido.

Electuarium aromaticum. Electuarum lenitivum. Emplastrum Anglicanum. Mel rosatum. Oxymel Scillae. Oxymel simplex.

Mel rosatum.

Rpe: **Florum Rosae** *grammata viginti* 20
Aquae fervidae *grammata ducenta.* 200

Sepone per tres horas, tum cola et exprime, atque liquori filtrato adde

Mellis depurati *grammata quingenta.* 500

Mixta evaporentur leni igne ad mellis spissitudinem.

Serva in loco frigido.

Mentholum.

Crystalli prismaticae vel aciculares, decolores, odoris et saporis olei Menthae piperitae, sub temperatura 42° circiter liquescunt, in aqua parum, in spiritu vini et aethere facile solubiles, calore balnei aquae expositae penitus evanescunt, quin colorentur,

Mentholum miscellae, ex centimetro cubico uno acidi acetici concentrati, guttis tribus acidi sulfurici concentrati et gutta una acidi nitrici confectae, ingestum colorem ne induat.

Mixtura gummosa.

Rpe :	**Gummi Acaciae pulverati**	*grammata decem*	10
	Sacchari pulverati	*grammata quinque*	5

solve sensim affundendo in

	Aquae destillatae	*grammis centum et triginta quinque.*	135

Paretur ex tempore.

Mixtura oleoso-balsamica.

Balsamum vitae Hoffmanni.

Rpe:	**Olei Lavandulae**		
	„ **Citri**	*āā grammata duo*	2
	„ **Caryophyllorum**		
	„ **Macidis**		
	„ **Aurantii florum**	*āā gramma unum*	1
	„ **Cinnamomi**	*guttas quinque*	
	Balsami Peruviani	*grammata duo*	2
	Spiritus aromatici	*grammata quingenta.*	500

Stent in digestione per aliquot dies, dein miscella bene saturata filtretur et servetur in vitro bene clauso.

Morphinum hydrochloricum.

Crystalli aciculares, tenues, sericeo nitentes, saporis peramari, chartam exploratoriam non mutantes, solvuntur in partibus circiter 20 aquae frigidae, in pari fere pondere bullientis, difficilius in spiritu vini. Ferro sesquichlorato soluto humectatae colorem caeruleum induunt, acido nitrico rubescunt.

Solutio aquosa, ammonia vel natrio hydrooxydato soluto addito, praecipitatum album deponit, quod excedente ammonia non conspicue, facile et penitus natrio hydrooxydato soluto solvitur, in aethere vix solubile est.

Morphinum hydrochloricum, acido sulfurico concentrato solutum, liquorem coloris expertem praebeat.

Ignitum ex integro comburat.

Mucilago Cydoniae.

Rpe: **Seminis Cydoniae** *gramma unum* 1
Aquae destillatae *grammata viginti quinque.* 25
Conquassa in lagena vitrea et cola.
Paretur ex tempore.

Mucilago Gummi Acaciae.

Mucilago Gummi arabici.

Rpe: **Gummi Acaciae pulverati** *grammata viginti.* 20
Solve sensim affundendo in
Aquae destillatae *grammis quadraginta* 40
et triturando in mucilaginem redige, quam colatam serva.

Myrrha.

Gummi-resina Myrrha.

Commiphora Myrrha Engler, arbor in montibus regionis Somaliensis et Arabiae australis indigena. *Burseraceae.*

Massae irregulares gibbosae, tuberosae, interdum subracemosae, usque ad magnitudinem pugni, in superficie inaequali aspera pulverulentae, coloris griseo- vel ochroleuco-subfusci, purgatae deflando aut abluendo aeque ac in fractura conchata pinguiter nitentes, coloris plerumque aequabilis subrubro-fusci, interdum albido-maculatae aut venis albidis trajectae, in fragmentis tenuibus pellucidae aut subpellucidae, subtenaces, haud facile pulverandae, pulverem laete aurantiacum praebentes.

Est Myrrha odoris peculiaris suavis, saporis aromatici, subacris, amariusculi; acido nitrico aut hydrochlorico humectata, induit colorem sordide violaceum.

Tinctura. Massa pilularum Ruffi.

Naphtalinum.

Crystalli prismaticae vel lamellares, albae, nitidae, odoris plerumque ingrati, penetrantis, sub temperatura 79° liquescentes, cum vaporibus aquae prompte auffugientes. Solvuntur in partibus circiter 20 spiritus vini concentrati frigidi, in omni fere quantitate fervidi, nec non in aethere, benzolo, oleis pinguibus et aethereis.

Incensum deflagrat, fumum densum, nigrum evolvens, residuo non relicto.

β Naphtolum.

Lamellae crystallinae, albae, nitoris sericei, odoris fere expertes, saporis urentis, sub temperatura 123° liquescentes; in aqua frigida parum, difficile in fervida solvuntur, facile in spiritu vini, aethere, chloroformio, benzolo, oleis pinguibus et in solutionibus alcalinis.

Solutio aquosa ferro sesquichlorato primum colorem viridescentem induit, tum floccos albos demittit; ammonia colore subcaeruleo-violaceo fluorescit.

Solutio aquosa, ope natrii hydrooxydati effecta, chloroformio addito colorem caeruleum trahit.

Solutio aquosa fervide saturata ferro sesquichlorato colore violaceo ne tingatur.

Cum vaporibus aquosis nonnisi difficile auffugit.

Ignitum sine residuo comburat.

Natrium boracicum.

Borax.

Crystalli prismaticae, decolores, in aëre fatiscentes, calore liquescunt et fortius calefactae in massam spongiosam — Boracem ustam — mutantur. Solvuntur in partibus 17 aquae frigidae, multo facilius in aqua fervida et in glycerino. Borax ope ansae fili platinei flammae admota, hanc colore flavo, acido sulfurico concentrato addito, colore viridi inficit.

Solutio aquosa, reactionis alcalinae, nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio carbonico mutetur, addito acido nitrico ne effervescat et baryo nitrico, aut argento nitrico adjecto vix turbetur.

Natrium bromatum.

Pulvis crystallinus, albus, in aëre sicco persistens, in aqua nec non in spiritu vini facile solubilis, flammam colore flavo inficit.

Solutio aquosa, reactionis neutrius, addita aqua chlori colorem induit rubro flavum, qui conquassando cum guttis aliquot chloroformii in hoc migrat, relicta solutione aquosa decolore.

Pulvis in tabula porcellanea alba dispersus et acido sulfurico diluto humectatus ne statim colorem flavum trahat.

Solutio aquosa cum aliquot guttis solutionis ferri sesquichlorati mixta et cum chloroformio conquassata, huic colorem violaceum ne tribuat. Eadem nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato mutetur, baryo nitrico vix turbetur.

Natrii bromati exsiccati decigrammata duo in aqua destillata soluta, addito pauxillo kalii chromici, nec infra undeviginti centimetra cubica solutionis argenti nitrici volumetrici nec ultra undeviginti et septem decimas CC partes (19—19·7 CC) consumant, donec pracipitatum rubrum, permiscendo non amplius evanescens, adparet.

Natrium carbonicum.

Crystalli rhomboidales, decolores, aëre cito fatiscentes, aqua facile solubiles, reactionis alcalinae. Acido sulfurico diluto effervescunt, flammae advectae hanc colore flavo inficiunt.

Solutio aquosa, acido hydrochlorico supersaturata, nec odorem gasis hydrosulfurati aut sulfurosi spargat,

nec sulfure demisso opalescat, nec aqua hydrosulfurata, nec addita ammonia, ammonio sulfurato colorem mutet. Eadem acido nitrico acidulata vel baryo nitrico vel argento nitrico ne nimis turbetur.

Contineat in centum partibus minimum partes 36·7 Natrii carbonici sicci; quapropter gramma dimidium Natrii carbonici crystallisati, in aqua destillata centimetris cubicis circiter viginti solutum, minimum centimetra cubica triginta quatuor et sex decimas partes (34·6 CC) solutionis alcalimetricae decinormalis consumat, ut liquor neuter evadat.

Crystalli ruditer tusae, loco tepido aëri expositae, in pulverem dilabuntur et ultra sex decimas ponderis sui partes perdunt. Pulvis inde enatus per cribrum transjectus sub nomine

Natrium carbonicum siccum (dilapsum)

praesto habeatur.

Tinctura Rhei aquosa.

Natrium hydrocarbonicum.

Natrium bicarbonicum. Bicarbonas Sodae.

Crustae crystallinae, opacae, aëre persistentes, saporis subalcalini, in aquae frigidae partibus circiter 13 solubiles, calefactae acidum carbonicum et aquam emittunt, residuum est reactionis fortiter alcalinae et flammae admotum hanc colore flavo inficit

Solutio ex grammate uno salis et grammis viginti aquae destillatae parata, additis guttis tribus solutionis phenolphtalëini, ne statim rubescat et si lente rubescit, gutta una acidi hydrochlorici diluti decoloretur.

Solutio aquosa, cum natrio hydrooxydato calefacta, ammonium ne exhalet; acido hydrochlorico supersaturata, nec aqua hydrosulfurata, nec addita ammonia, ammonio sulfurato, nec baryo nitrico mutetur; acido nitrico acidulata, argento nitrico parum nonnisi lactescat.

Grammata quatuor Natrii hydrocarbonici ignitione ne ultra grammata duo et dimidium residui relinquant; decigrammata duo residui in aqua soluti non minus quam centimetra cubica triginta septem et dimidium (37·5 CC) solutionis alcalimetricae decinormalis ad perfectam neutralisationem consumant.

Pastilli e Natrio hydrocarbonico. Potio Magnesii citrici effervescens. Pulvis aërophorus. Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

Natrium jodatum.

Pulvis albus, crystallinus, aëre humescens, facillime in aqua nec non in spiritu vini solubilis, flammae admotus hanc colore flavo tingit; solutio aquosa, aqua chlori addita et cum chloroformio conquassata, huic colorem violaceum induit.

Solutio aquosa reactionis neutrius, acido sulfurico diluto nec effervescat, nec statim flavescat, neque aqua hydrosulfurata vel ammonio hydrosulfurato mutetur. Eadem, acido nitrico acidulata, baryo nitrico vix turbetur et praecipitatum, quod argento nitrico obtinetur, cum ammonia quassatum, liquorem praebeat, qui filtratus, acido nitrico diluto adjecto, nonnisi lactescat, quin continuo sedimentum deponat.

Solutio aquosa guttis aliquot ferri sulfurici et sesquichlorati additis et natrio hydrooxydato alcalina facta, demum brevi calefacta et acido hydrochlorico abunde saturata, colorem caeruleum ne ducat.

Natrium phosphoricum.

Sistit prismata tetragona, pellucida, cito fatiscentia, reactionis alcalinae, in aqua frigida, facilius in fervida solubilia; flammam colore flavo tingunt. Solutio aquosa baryo chlorato adjecto praecipitatum album edit, quod addito acido hydrochlorico ex integro absque effervescentia solvitur. Simili modo se habeat praecipitatum flavum argento nitrico effectum reagente acido nitrico.

Solutio aquosa acido nitrico acidulata, nec aqua hydrosulfurata mutetur et ammonia supersaturata, nec ammonio sulfurato nec ammonio oxalico plus quam vestigia praecipitati edat.

In apparatu Marshii tentatum ne vestigia speculi arsenici exhibeat.

Natrium salicylicum.

Pulvis crystallinus, albissimus, inodorus, saporis e dulci salsi, facillime in aqua, facile in spiritu vini solubilis.

In catino porcellaneo fervefactus vapores phenolum redolentes emittit, carbo residuus acidis effervescit et flammam flavo colore tingit. Solutio aquosa ferro sesquichlorato colorem, si est concentrata, e rubro fuscum, si est valde diluta, violaceum induit.

Solutio aquosa concentrata, reactionis subacidae. est decolor, tractu temporis leviter dumtaxat rubescat, admixto acido hydrochlorico crystallos albas, in spiritu vini et aethere solubiles demittit. Eadem baryo nitrico tentata ne mutetur, nec addito acido nitrico diluto, crystallis acidi salicylici per filtrationem separatis, argento nitrico turbetur.

Natrium salicylicum in acido sulfurico concentrato sine effervescentia solvatur, quin coloretur.

Natrium silicicum.

Liquor limpidus, decolor vel subflavescens, reactionis alcalinae, ponderis specifici 1·40, additis acidis gelatinam efformat.

Cum quarta ponderis sui parte spiritus vini concentrati mixtus praecipitatum deponat. Hujus defectus praesentiam natrii hydrooxydati liberi indicat. Corrigitur tale praeparatum coquendo liquorem cum acido hydrosilicico recenter parato.

Natrium sulfuricum crystallisatum.

Sal Glauberi.

Crystalli decolores, fatiscentes, sub temperatura 33° in tertia ponderis parte aquae solubiles. Solutio aquosa, reactionis neutrius, baryo nitrico praecipitatum in acidis insolubile praebet, flammam colore flavo inficit.

Solutio aquosa nec aqua hydrosulfurata, nec ammonio sulfurato, nec ammonio oxalico, neque ammonia

et natrio phosphorico mutetur, argento nitrico tantummodo lactescat.

Natrium sulfuricum grosse pulveratum, aëri sicco loco tepido expositum, ultra dimidium ponderis perdit et in pulverem convertitur, qui per cribrum transjectus sub nomine

Natrium sulfuricum siccum (dilapsum)

praesto sit.

Oleum Amygdalarum.

Rpe: **Amygdalarum dulcium** *q. v.*

In pulverem redactas et sacculo inclusas primum leviter, deinde fortissime in prelo exprime. Oleum per chartam bibulam filtratam serva.

Sit limpidum, coloris pallide flavi, inodorum, saporis mitis, non rancidi, non exsiccans, frigore non spissescens, ponderis spec. 0·915 — 0·920. Facile in aethere et in chloroformio solvitur.

Partes quindecim olei cum mixtione e partibus duabus aquae et partibus tribus acidi nitrici fumantis vehementer conquassatae, mixtionem albidam, non vero fuscam aut rubram praebeant, quae nonnullis horis peractis massam solidam albam deponit.

Ceratum Cetacei. Emulsio oleosa. Unguentum emolliens. Unguentum Zinci oxydati.

Oleum Anisi.

E fructibus Anisi vulgaris paratum sit limpidum, reactionis neutrius, decolor vel parum flavescens, odoris Fructus Anisi peculiaris, saporis aromatici, subdulcis

ponderis spec. 0·980–0·990. Sub temperatura 10–15° C. in massam crystallinam ex parte abeat, in spiritus vini partibus tribus perfecte solvatur.

Gutta una olei, in chartam bibulam delapsa, maculam pinguem, in spiritu vini insolubilem ne derelinquat; sub calore sensim aucto avolet, residuo vel nullo, vel nonnisi perexiguo relicto; frustulum calcii chlorati fusi, magnitudinuis pisi cum oleo quassatum nec diffluat, nec emollescat.

NB. Olea aetherea in genere sub explorationibus modo enumeratis se praebeant ut Oleum Anisi.

Liquor Ammoniae anisatus.

Oleum Aurantii corticis.

E pericarpio *Citri vulgaris* paratum, sit limpidum, subflavescens, odoris Corticis Fructus Aurantii peculiaris, saporis grate aromatici cum aliqua amaritudine, ponderis spec. 0·860, in spiritu vini concentrato facile solubile.

Tractu temporis particulas crystallinas, in aqua et spiritu vini solubiles deponit.

Oleum Aurantii florum.

E floribus *Citri vulgaris* obtentum, recens sit decolor, tenue, tempore flavescens, demum e fusco-flavum, odoris florum Aurantii peculiaris, saporis primum subdulcis, tum amari et acris, ponderis spec. versus 0·890, facillime in spiritu vini concentrato solubile. In tenuioribus stratis violaceo colore fluorescit.

Mixtura oleoso-balsamica.

Oleum Bergamottae.

E pericarpio *Citri Bergamiae* (Risso) paratum, sit limpidum, odoris Citri fructus similis, saporis cum aliqua acredine amaro-aromatici, ponderis spec. 0·860, in spiritu vini concentrato facillime et limpide solubile.

Tractu temporis massam crystallinam, in spiritu vini minus solubilem deponit.

Unguentum rosatum.

Oleum Cacao.

Butyrum Cacao.

E seminibus *Theobromae Cacao* (Linn.) leniter tostis et decorticatis, expressione calida et filtratione obtentum.

Oleum Cacao, consistentiae sebi, sit e subflavo album, odoris grati seminis Cacao, saporis mitis, temperatura consueta fragile, leni calore (30—35°) sine sedimento liquescens. In aetheris tribus partibus limpide solvatur, quae solutio etiam limpida maneat. Cum miscella e duabus partibus aquae et parte una ammoniae conquassatum, fluidum lacteum ne praebeat.

Oleum cadinum.

E ligno *Juniperi Oxycedri* (Linn.) destillatione sicca obtentum oleum empyreumaticum; sit obscure fuscum, spissiusculum, picis liquidae simile.

Oleum camphoratum.

Rpe: **Camphorae in pulverem contritae**
grammata viginti quinque 25
solve terendo in
Olei Olivae *grammis septuaginta quinque* 75
et filtra.

Oleum Carvi.

E fructibus Carvi paratum sit decolor aut subflavum, tenue, temporis tractu spissius, odoris Fructus Carvi peculiaris, saporis aromatici, subacris, ponderis spec. 0·910, in spiritu vini facillime solubile.

Oleum Carvi, cum aequali quantitate spiritus vini concentrato dilutum, gutta una ferri sesquichlorati soluti addita, colorem subviolaceum vel rubescentem trahit.

Oleum Caryophyllorum.

E Caryophyllis paratum, sit limpidum, decolor vel parum flavescens, odoris fragrantissimi, saporis urentis aromatici, ponderis spec. 1·040—1·060, in spiritu vini nec non in acido acetico concentrato facile solvendum.

Aqua fervida, cum Oleo Caryophyllorum conquassata, reactionem acidam ne praebeat, post refrigerationem aqua limpida filtrata, gutta una ferri sesquichlorati soluti addita, colorem caeruleum vel viridem ne trahat.

Mixtura oleoso-balsamica.

Oleum Cinnamomi.

Oleum Cassiae.

E cortice *Cinnamomi Cassiae* obtentum, sit flavescens vel subfuscum, limpidum, odoris et saporis corticis Cinnamomi peculiaris, ponderis spec. 1·055, in spiritu vini facillime solvendum.

Guttae quatuor olei, cum decem centimetris cubicis spiritus vini concentrati dilutae et gutta una ferri sesquichlorati soluti mixtae, colorem dumtaxat fuscum non vero caeruleum aut viridem induant.

Mixtura oleoso-balsamico.

Oleum Citri.

E pericarpio recenti *Citri Limoni* obtentum, sit limpidum, tenue, coloris e flavido pallentis, odoris fructus Citri peculiaris, saporis amaro-aromatici, ponderis spec. 0·850, in septem partibus spiritus vini concentrati solubile.

Mixtura oleoso-balsamica. Potio Magnesii citrici effervescens.

Oleum Crotonis.

E seminibus mundatis *Crotonis Tiglii* (Linn.) expressione obtentum oleum pingue, sit limpidum, paulum spissum, coloris bruneo-flavi, odoris debilis ingrati, haud rancidi, saporis initio mitis sed mox valde acris et urentis, ponderis spec. 0·940—0·950 et reactionis acidae.

Maxima ex parte in spiritu vini, ex toto in aethere et chloroformio solvitur.

Oleum Foeniculi.

E fructibus Foeniculi paratum sit limpidum, decolor vel parum flavescens, odoris fructus Foeniculi peculiaris, saporis subdulcis, ponderis spec. non inferioris quam 0·960.

In spiritus vini concentrati partibus tribus perfecte solvatur, solutio chartam exploratoriam ne mutet, neque ferro sesquichlorato addito coloretur.

Oleum Hyoscyami foliorum coctum.

Rpe: **Foliorum Hyoscyami grosse pulveratorum**
grammata centum. 100

Macera cum

Spiritus Vini diluti *grammis centum* 100

per duodecim horas.

Tum digere cum

Olei Olivae *grammis mille* 1000

in balneo aquae, usque dum spiritus aufugerit, deinde cola, exprime et filtra.

Oleum Jecoris Aselli.

Ex hepate recenti *Gadi Morrhuae* (Linn.), piscis maria septemtrionalia incolentis, leni calore in balneo vaporis obtentum oleum pingue, spissiusculum, pellucidum, flavescens vel flavum, odoris et saporis debilis piscini. Ne sit rancidum neve turbidum. Gutta una acidi sulfurici concentrati instillando in nonnullas guttas Olei Jecoris, primum colorem violaceum efficit, qui celeriter in colorem e fusco-rubrum abit.

Charta exploratoria spiritu vini humectata hoc oleo dumtaxat perpaulum rubefiat.

Calore 0° diutius sepositum stearini nihil, vel nonnisi pauxillum demittat.

Oleum Juniperi.

E fructibus Juniperi paratum, sit limpidum, decolor vel e viridi flavum, tenue, odoris et saporis proprii aromatici, ponderis spec. versus 0·870. In spiritu vini concentrato parum solubile est.

Unguentum aromaticum. Unguentum Juniperi.

Oleum Lauri.

Oleum e fructibus recentibus Lauri ope coctionis cum aqua et expressione paratum, unguenti mollioris consistentia, granulosum, coloris viridis, odoris laurini, saporis balsamici, amari et unguinosi. Sit in sesqui partibus aetheris plane solubile.

Unguentum aromaticum.

Oleum Lavandulae.

E floribus Lavandulae paratum, sit decolor vel subflavescens, limpidum, tenue, odoris florum Lavandulae peculiaris, saporis aromatici, amari, ponderis spec. 0·885—0·895; facillime in spiritu vini concentrato solubile.

Linimentum saponato-camphoratum. Mixtura oleoso-balsamica. Spiritus saponatus. Unguentum aromaticum. Unguentum Diachylon. Unguentum Sabadillae.

Oleum Lini.

E seminibus Lini expressione calida paratum oleum pingue, siccescens, spissiusculum, limpidum, e subfusco flavum, odoris proprii debilis, ponderis spec. 0·936—0·940, frigore —20° adhuc liquidum. Rancidum, turbidum vel nimis spissum rejiciatur.

Oleum Macidis.

Ex arillis, quos offert *Myristica fragrans*, paratum, recens decolor, odoris et saporis Macidis peculiaris, tractu temporis evadit subfuscum et stearoptenum deponit. In spiritu vini facile solvitur.

Mixtura oleoso-balsamica.

Oleum Menthae piperitae.

E foliis recentibus *Menthae piperitae* paratum, sit limpidum, decolor vel parum flavescens, tenue, odoris Menthae piperitae peculiaris, saporis valde aromatici, urentis et refrigerantis, ponderis spec. 0·910; vel spiritu vini diluto limpide miscetur.

Pastilli e Natrio hydrocarbonico. Pulvis dentifricius albus. Rotulae Menthae piperitae. Unguentum aromaticum.

Oleum Myristicae expressum.

Oleum Nucis moschatae expressum.

Oleum consistentiae sebi, paratum e seminibus Myristicae expressione in India orientali, adfertur nobis

in massis forma laterum angustorum, coloris aurantiaci aut rubicundo-fusci et albidi variegati, crystallino-granulosum, odoris et saporis seminis Myristicae.

Calore versus 45° ad liquorem e fusco rubrum, non plane limpidum liquescit, in aethere, spiritu vini et chloroformio ferventi plane solubile, solummodo residuum perexiguum, e paucissimis amyli granis, cellulis discretis aut particulis telae seminis Myristicae compositum relinquens.

Oleum Olivae.

E fructibus *Oleae Europaeae* (Linn.) per expressionem frigidam obtentum oleum pingue, ad usum internum nonnisi purissimum admittendum, coloris flavi vel e viridi flavi, saporis mitis, odoris levis peculiaris, ponderis specifici 0·915—0·918. Calore circiter 10° rigescere incipit, calore 0° ad massam solidam spissescit.

Partes quindecim olei cum partibus duabus aquae et tribus acidi nitrici fumantis conquassando mixtae, colorem rubrum vel fuscum ne producant.

Emplastrum adhaesivum. Empl. Cantharidum. Empl. Cerussae. Empl. Meliloti. Empl. Minii. Empl. saponatum. Linimentum ammoniatum. Oleum camphoratum et Hyoscyami foliorum coctum. Unguentum Diachylon.

Oleum Pini Pumilionis.

E ramulis foliatis *Pini Pumilionis* (Haencke) per destillationem paratum oleum aethereum, sit decolor aut

e viridi flavum, odoris aromatici peculiaris et grati, saporis amari, aromatici et acris, ponderis spec. 0·85, versus 170° ebullit.

Oleum Ricini.

E seminibus *Ricini communis* (Linn.) mundatis expressione obtentum oleum pingue est limpidum et adeo lentum, ut in fila distrahi possit, decolor aut subflavum, saporis primum blandi, tum inamoeni subacris, odoris expers, ponderis spec. 0·950—0·970, in spiritu vini concentrato facillime solubilis, sub temperatura 0° flocculis crystallinis secedentibus turbidum evadit. In stratis tenuibus lente siccescit.

Oleum nimis spissum, rancidum et acre rejiciatur.

Collodium elasticum.

Oleum Rosae.

Oleum aethereum e floribus nonnullarum *Rosae* specierum, in Bulgaria cultarum, destillatione paratum, flavescens, subspissum, sub temperatura 12 ad 15° solidescens, odoris fragrantissimi florum Rosae, saporis blandi, subdulcis, ponderis specifici 0·860. Sub temperatura 22° solvitur in triginta circiter partibus spiritus vini concentrati. Haec solutio chartam exploratoriam caeruleam, aqua humectatam ne rubefaciat.

Aqua. Unguentum rosatum.

Oleum Rosmarini.

Oleum Anthos.

E foliis Rosmarini paratum, sit limpidum, tenue, coloris expers vel flavescens, odoris Rosmarini peculiaris,

Camphorae similis, saporis aromatici, ponderis spec. 0·900. In spiritu vini concentrato facillime solubile, temporis tractu stearopteni exiguam quantitatem deponit.

Linimentum saponato-camphoratum. Unguentum aromaticum.

Oleum Santali.

E ligno *Santali albi* (Linn.) paratum, coloris pallide flavi, odoris valde aromatici, saporis aromatici pungentis, ponderis spec. 0·960, reactionis neutrius aut paulo acidae, in spiritu vini concentrato facile solubile.

Oleum Sinapis aethereum.

Allylii Sulfocyanidum.

E seminibus Sinapis nigrae, ab oleo pingui expressione liberatis paratum, sit recens decolor, limpidum, odoris penetrantissimi acris, saporis urentis; in cute qua rubefaciens agit. Sit ponderis spec. 1·01—1·02, sub temperatura 148 ° ebullit. Facile in spiritu vini concentrato et in aethere, parum in aqua solvitur; solutio aquosa cito decomponitur. Oleum per longius tempus luci expositum, induit colorem rutilo-fuscum et sedimentum sordide aurantiacum deponit.

Guttae decem olei cum quinque centimetris cubicis acidi sulfurici concentrati mixtae, solutionem efficiant limpidam, vix aut ad summum flavam coloratam.

Servetur vase bene clauso, ab lucis et aëris influxu remotum.

Spiritus Sinapis.

Oleum Terebinthinae.

E Terebinthina communi aquae vaporum ope oleum destillatum sit limpidum, decolor aut paulum flavescens, odoris Terebinthinae peculiaris, saporis pungentis, amariusculi, ponderis spec. 0·85—0·86; calore 160° ebullire incipit. Ex aëre oxygenium adtrahit et spissescit.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Spiritus Terebinthinae.

Ex oleo Terebinthinae, antea cum aqua calcis sive kalio hydrooxydato soluto conquassato, rectificatione obtentum, sit limpidum, decolor, ponderis spec. 0·855—0·865, in septem circiter partibus spiritus vini concentrati solubile. Solutio chartam exploratoriam, aqua humectatam, ne mutet. Calore 160° ebulliat.

Oleum Valerianae.

E radice Valerianae paratum, sit flavescens, primum tenue, temporis tractu spissius, tenax, odoris Valerianae radicis proprii, saporis aromatici camphoracei, ponderis spec. versus 0·950. In aqua parum, in spiritu vini concentrato facillime solubile.

Olibanum.

Gummi-resina Olibanum.

Succus gummi-resinosus, e truncis stillans et aëre induratus nonnullarum specierum generis *Boswelliae,* in-

primis *Boswelliae Carterii* Birdwood et *Boswelliae Bhau-Dajianae* Birdwood, arborum indigenarum in Arabia australi et in regione Somaliensi Africae orientalis. *Burseraceae.*

Occurrit in granis subglobosis vel oblongis, pisi ad summum nucis juglandis magnitudine, albo-flavescentibus vel flavo-rubellis, extus albido-pulverulentis, duris, fragilibus, in fractura conchata cerae instar nitentibus, in fragmentis tenuibus plerumque claris, pellucidis, odoris debilis, super prunis balsamici notissimi, saporis amariusculi.

Masticata gummi-resina molescit et massam albam, subglutinosam, aqua trita emulsionem albam praebet.

Emplastrum oxycroceum.

Opium.

Papaver somniferum Linn., planta annua, in Oriente indigena ibique maxime culta. *Papaveraceae.*

Succus lacteus, in Asia minore e capsulis immaturis vulneratis elicitus aëreque induratus. Occurrit plerumque in placentis paulo compressis, disciformibus aut subglobosis, folio papaveris accurate involutis et fructibus rumicis speciei nonnunquam conspersis. Recentes sunt molliores, intus coloris flavo-fusci, humidae, tenaces, glutinosae, exsiccatae durae, in fractura granulata ex rubro fuscae, odoris proprii narcotici, saporis amari et acris.

Pulvis e flavo fuscus, microscopio exploratus, ne praebeat grana amyli neve particulas alicujus telae vegetabilis exceptis perpaucis fragmentis epithelii fructus papaveris.

Usui pharmaceutico concidatur Opium et si opus fuerit, calore 60° non superante exsiccatum, in pulverem redigatur, qui subsequente ratione examinatus ne minus quam partes decem (10) morphini in centum partibus praebeat.

In hunc finem opii pulverati grammata 8 macera per 12 horas, interdum conquassando, cum grammis 80 aquae destillatae et filtra. Grammata 42 et dimidium liquoris filtrati misce cum grammis 12 spiritus vini concentrati, grammis 10 aetheris et grammis duobus ammoniae et sepone, saepius agitando in vase idoneo clauso calore 10 ad 15° per diem. Dein id, quod vase continetur in filtrum parvum immitte. Liquore defluxo Morphini crystallos, in eo remanentes, mixtione ex spiritus vini diluti, aetheris et aqua destillata singulorum grammis duobus bis elutas in filtro calore 100° sicca.

Pondus earum ne sit minus quam 0·4.

Crystalli sic obtentae cum partibus centum aquae calcis conquassatae, aliquot horis peractis, solutionem praebeant flavidam, quae aqua chlori paullatim affusa, colorem constantem e fusco rubrum, ferro sesquichlorato soluto admixto, caeruleum vel viridem trahat.

Extractum. Tinctura simplex et crocata. Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Oxymel Scillae.

Rpe: **Aceti Scillae** *grammata centum* 100

Mellis depurati *grammata ducenta* 200

Evapora in lebete, ebullitionem evitando, ad syrupi consistentiam, tum per manicam e panno confectam colatum et refrigeratum in vase obturato, in loco frigido sepone.

Oxymel simplex.

Rpe: **Aceti** *grammata centum* 100

Mellis depurati *grammata ducenta* 200

leni calore evapora ad syrupi consistentiam, tum cola per manicam laneam.

Paleae haemostaticae.

Penawar Djambi. Pulu.

Cibotium Baromez J. Sm. et aliae species *Cibotii* nec non aliorum generum filicum, plerumque arborescentium Indiae orientalis insularumque Oceani pacifici. *Filices. Cyatheaceae.*

Paleae filiformes, rhizoma et bases stipitum indumento densissimo vestientes et ab iis desumptae in massis mollissimis, sericeo-lanosis, coloris flavo-fusci aut aurei, nitoris sericei aut submetallici, broncei, singulae tria ad septem centimetra longae, forma pili simplicis, pluricellularis, compressi.

Pasta gummosa.

Pasta Althaeae.

Rpe: **Gummi Acaciae pulverati**

Sacchari pulverati *āā grammata quingenta* 500

solve in

Aquae fervidae *grammis quingentis.* 500

Evapora ad pastae consistentiam, sub finem addendo albumen ovorum duodecim in spumam conquassatum.

Sub continua agitatione tamdiu evapora, donec massae aliquantum exemtum nec e spatula lignea defluat, nec manibus adhaereat, tum adde

Aquae Aurantii florum

grammata quinquaginta. 50

Massa per breve tempus adhuc leni calore exposita effundatur super tabulam ligneam, amylo conspersam et in loco sicco seponatur.

Sit alba, non nimis sicca.

Pasta Liquiritiae flava.

Rpe: **Succi Liquiritiae depurati**

grammata centum et viginti 120

Gummi Acaciae contusi *grammata mille* 1000

solve in

Aquae destillatae *s. q.*

et cola, adde

Sacchari contusi *grammata mille.* 1000

Cum

Aquae destillatae *s. q.*

et albumine ovorum viginti fiat leni calore evaporando pasta, additis sub finem

Fructus Vanillae *grammis duobus* 2

cum

Sacchari pulverati *grammis quindecim* 15

optime contritis.

In tabulas scissam serva.

Pastilli e Natrio hydrocarbonico.

Rpe: **Natrii hydrocarbonici subtiliter triti**
grammata tria 3
Sacchari pulverati *grammata quadraginta quinque.* 45
Cum
Olei Menthae piperitae *guttis duabus*
in
Spiritus Vini diluti *q. s.*
solutis fiat contundendo massa, e qua formentur lege artis Pastilli *triginta.*

Pepsinum.

Pulvis subtilis, albus vel parum flavescens, odoris et saporis paene expers, in aqua non limpide solvendus, guttis aliquot acidi hydrochlorici adjectis solutio limpidior evadit.

Pepsini decigramma unum, in centum quinquaginta grammis aquae et duobus cum dimidio grammis acidi hydrochlorici diluti solutum, grammata decem albuminis ovi cocti, subtiliter contriti, intra quatuor ad sex horas calore 40° saepius conquassando ad liquorem paullum opalescentem solvat.

Physostigminum salicylicum.

Eserinum salicylicum.

Crystalli decolores vel subflavescentes, saporis nullius, in aqua difficile, facilius in spiritu vini solubiles.

Sal siccum, vel luci plena expositum, per longius temporis spatium immutatum manet, attamen solutio ejus aquosa aut spirituosa, vel luci dispersae exposita, intra paucas horas colorem subrubrum trahit.

Solutio aquosa addito ferro sesquichlorato colorem violaceum induit. Solutio Physostigmini in acido sulfurico concentrato initio decolor, post flavum colorem trahit.

Pilocarpinum hydrochloricum.

Crystalli albae, neutrae, saporis subadstringentis amari, aëre humescentes, in aqua et spiritu vini facile, aegre in chloroformio et aethere solubiles. In acido nitrico concentrato colore subviridi-pallente solvuntur. In solutione aquosa diluta ammonia praecipitatum non efficit, natrium hydrooxydatum solutionem nonnisi concentratam turbat.

Pilulae laxantes.

Rpe:	**Aloës**	*grammata quadraginta*	40
	Radicis Jalapae	*grammata sexaginta*	60
	Saponis medicinalis	*grammata viginti*	20
	Fructus Anisi vulgaris	*gramata decem.*	10

Pulverata misce; fiant lege artis pilulae ponderis *centigrammatum viginti.* 0·20

Pix liquida.

Praeparatum venale, e Fago sylvatica destillatione sicca obtentum, sistit liquorem spissum oleosum, aqua

graviorem, coloris nigro-fusci, odoris empyreumatici peculiaris, kreosotum redolentis, saporis nauseosi, amari et urentis. Pix liquida cum aqua conquassata huic odorem saporemque picis et reactionem acidam tribuit.

Unguentum sulfuratum.

Placentae seminum Lini.

Residua seminum Lini comminutorum et, olei parandi causa, expressorum sub forma placentarum durarum, coloris grisei, ad pulverem redactae praesto sint.

Plumbum aceticum.

Saccharum saturni.

Crystalli coloris expertes, leviter fatiscentes, acidum aceticum redolentes, in aqua facile, perexiguo nonnisi residuo relicto, solubiles. Solutio aquosa saporis subdulcis, adstringentis, aqua hydrosulfurata praecipitatum nigrum, acido sulfurico diluto album, kalio jodato flavum demittit. Kalium ferrocyanatum sedimentum pure album efficiat. Ferro sesquichlorato addito liquor, plumbo chlorato deposito supernatans, colore subrubro tingitur.

Unguentum.

Plumbum aceticum basicum solutum.

Acetum Lithargyri.

Rpe: **Plumbi acetici** *grammata trecenta.* 300

Contere cum

Plumbi oxydati pulverati *grammis centum.* 100

Mixta in lagenam immitte, quae continet

Aquae destillatae *grammata mille.* 1000

Lagena clausa stent saepius conquassando, donec color sedimenti in album mutatus fuerit et exigua nonnisi quantitas non soluta remaneat.

Liquor filtratus in vase bene clauso servetur.

Sit limpidus, decolor, reactionis alcalinae, ponderis specifici 1·23—1·24. Supperaddita ammonia liquor filtratus decolor maneat.

Aqua plumbica. Aqua Goulardi.

Plumbum carbonicum.

Cerussa.

Pulvis ponderosus, albissimus, in aqua insolubilis, in acido acetico sive nitrico sub effervescentia solvitur. Solutio obtenta natrio hydrooxydato praecipitatum album, in ejus excessu solubile, efficit, adjecta aqua hydrosulfurata nigrum, acido sulfurico album sedimentum demittit.

Sit acido nitrico aqua diluto, aut plane aut exiguo nonnisi residuo relicto solubilis. Solutio gase hydro-sulfurato abundante praecipitata et filtrata, natrio carbonico supersaturata ne turbetur.

Ignitum minimum octoginta quinque de centum partibus plumbi oxydati relinquat.

Emplastrum Cerussae. Unguentum Cerussae.

Plumbum hyperoxydatum rubrum.

Minium.

Pulvis ruber, in aqua insolubilis, acido hydrochlorico admixto chlorum emittens, sedimento albo crystallino effecto.

Solvatur fere ex integro in acido nitrico diluto, accedente acido oxalico et aqua fervida.

Emplastrum Minii.

Plumbum oxydatum.

Lithargyrum.

Pulvis subflavus vel rubro-flavescens sive massa squamosa ejusdem coloris, in aqua insolubilis, in acido nitrico aqua diluto perfecte solvitur. Solutio, coloris expers, aqua hydro-sulfurata nigrum, acido sulfurico album, natrio hydrooxydato solubile praecipitatum demittit.

Liquor conquassando plumbum oxydatum cum acido sulfurico diluto filtratione obtentus per superadditam ammoniam sit decolor vel nonnisi colorem subcaeruleum induat, nec praecipitatum perceptibile rubro-fuscum deponat. Acido acetico diluto calefactum, parum effervescat et maximam partem solvatur.

Emplastrum adhaesivum. Emplastrum Diachylon simplex.

Potio Magnesii citrici effervescens.

Limonada purgativa.

Rpe: **Acidi citrici** *grammata duodecim* 12
Magnesii carbonici pulverati *grammata septem* 7
solve in

Aquae destillatae calidae *grammis trecentis,* 300
deinde adde

Sacchari pulverati *grammata quadraginta* 40
mixta cum

Olei Citri *gutta una.*

Liquorem filtratum et refrigeratum immitte in lagenam idoneam et cito injice

Natrii hydrocarbonici in frustulis
gramma unum et dimidium. 1·5

Lagena statim claudatur subere et ligamento antea accomodato, eo modo, quo lagenae cum liquoribus effervescentibus impletae obturari et ligari solent.

Pulpa Cassiae Fistulae.

Rpe: **Fructus Cassiae Fistulae** *q. v.*

Exime pulpam cum dissepimentis transversis et seminibus ope spatulae, elue cum

Aquae destillatae tepidae *s. q.*

Trajice per cribrum setaceum, et inspissa in balneo aquae in vase porcellaneo ad extracti liquidi consistentiam, dein admisce

Pulpae *ternis partibus*

Sacchari pulverati *partem unam*

et evaporatione in balneo aquae inspissa in legitimam pulpae consistentiam.

Sit odoris melliti, saporis grate dulcis.

Pulpa Prunorum.

Rpe: **Fructuum Prunorum siccatorum et concisorum** *q. v.*
coque cum

Aquae destillatae *s. q.*

continue agitando, usque ad emollitiem.

Pultem per cribrum setaceum transmissum balneo aquae evapora ad extracti spissioris consistentiam, deinde

Pulpae *ternis partibus*

adde

Sacchari pulverati *partem unam*

et balneo aquae inspissa ad legitimam pulpae consistentiam.

Electuarium lenitivum.

Pulpa Tamarindorum depurata.

Rpe: **Fructus Tamarindi** *grammatum duo millia* 2000
infunde cum

Aquae destillatae fervidae
grammatum duobus millibus 2000

sepone et saepius agita usque ad emollitionem. Pulpam per cribrum setaceum transmissam in vase porcellaneo evapora in balneo aquae ad extracti spissi consistentiam, deinde

Pulpae *ternis partibus*

admisce

Sacchari pulverati *partem unam*

et evaporatione inspissa ad legitimam pulpae consistentiam.

Electuarium lenitivum.

Pulvis aërophorus.

Rpe: **Natrii hydrocarbonici subtiliter triti**
grammata duo. 2

Dentur ad chartam caeruleam.

Rpe: **Acidi tartarici subtiliter triti** *gramma unum et dimidium.* 1·5

Dentur ad chartam albam.

Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

Rpe: **Kalii Natrio-tartarici subtiliter triti**
grammata decem 10
Natrii hydrocarbonici subtiliter triti
grammata tria. 3

Bene mixta dentur ad chartam caeruleam.

Rpe: **Acidi tartarici subtiliter triti** *grammata tria.* 3

Dentur ad chartam albam.

Pulvis dentifricius albus.

Rpe: **Radicis Iridis in pulvere**
Magnesii carbonici pulverati
āā grammata quinque 5
Calcii carbonici praecipitati
grammata quadraginta 40
Olei Menthae piperitae in pauxillo Spiritus Vini concentrati soluti *guttas quatuor.*

Misce et trajice per cribrum.

Pulvis dentifricius niger.

Rpe: **Corticis Chinae**
Foliorum Salviae
Carbonis Ligni depurati
āā grammata viginti. 20

Pulverata misce et trajice per cribrum.

Pulvis gummosus.

Rpe: **Amyli Tritici**
Radicis Liquiritiae mundatae
āā grammata quinquaginta 50
Gummi Acaciae
Sacchari *āā grammata centum.* 100

Subtiliter pulverata bene misce et trajice per cribrum.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Pulvis Doweri Ph. Austr.

Rpe: **Radicis Ipecacuanhae**
Opii *āā grammata quinque* 5
Sacchari *grammata quadraginta.* 40

Subtiliter pulverata misce intime diutius terendo.

Pulvis Liquiritiae compositus.

Rpe: **Sacchari** *grammata triginta* 30
Foliorum Sennae
Radicis Liquiritiae mundatae
āā grammata decem 10

Fructus Foeniculi
Sulfuris depurati

āā grammata quinque. 5

Subtiliter pulverata intime misce et per cribrum setaceum trajice.

Radix Aconiti.

Tubera Aconiti.

Aconitum Napellus Linn. ejusque varietates in nostris alpibus indigenae. *Ranunculaceae.*

Tubera napiformia, radiculis tenuibus numerosis in omni ambitu obsessa, superne residuo caulis aut gemma terminata, aut solitaria, aut bina imparis aetatis cohaerentia, recentia succulenta, siccata dura, ponderosa, quatuor ad octo centimetra longa, superne duo ad tria centimetra crassa, extus obscure fusca, opaca, plerumque longitudinaliter rugosa et radiculis mundata, ubique minutim cicatrisata, in fractura aequali solida, farinacea, aut subcornea, alba aut griseo-alba.

In sectione transversa observatur cortex latus, a medulla ampla circulo fasciculorum ligni angustissimo, stellatim in quinque ad septem radios porrecto, separatus.

Odor recentis radicis est acris, raphani similis, siccatae nullus; masticata ab initio exiguam, serius acerrimam diu haerentem producit sensationem, relicta anaesthesia linguae.

Fodiantur tubera plantae spontaneae florentis, caute siccanda et servanda.

Rejiciantur tubera aliarum Aconiti specierum, inprimis *Aconiti variegati* (Linn.), prioribus minora.

Extractum. Tinctura.

Radix Althaeae.

Althaea officinalis Linn., vide: *Folia Althaeae.*

Rami radicis carnosi, rejectis partibus lignosis et cariosis, stratis exterioribus corticis liberati et siccati, in frustis variae longitudinis, unum ad unum et dimidium centimetrum crassis, subcylindricis aut obtuse quadrangulis, in superficie saepe late subsulcata, albida vel subflavescente parvis cicatricibus fibrillorum radicis subfuscis obsitis et tenuissimis libri fasciculis, mundatione radicis solutis, subtomentosis, in sectione mitibus, farinosis, in fractura fibroso-granulata albis, odoris debilis peculiaris, saporis mucilaginosi, dulciusculi.

In sectione transversa liber delicatissime et densissime, lignum amplum centrale vix evidenter radiatim striatum. Ope microscopii in parenchymate corticis lignique amylo scatente, utriculi mucilaginiferi numerosi inveniuntur.

In mercatura occurrit radix plerumque scissa in frustulis subcuboideis, albissimis. Cave ne sit ejusmodi merx vetusta calcio sulfurico usto dealbata, quod facile dignoscendum examine sedimenti mercis aqua lavatae.

Syrupus. Species. Species pectorales.

Radix Angelicae.

Archangelica officinalis Hoffmann, planta biennis, in subalpinis paludosis, inprimis Europae borealis crescens, apud nos in hortis rusticorum non raro culta. *Umbelliferae.*

Merx constat ex caudice brevi, ad sex centimetra crasso, sursum tenuiter denseque annulato et vaginarum

foliorum reliquiis purpurascentibus comato, unacum radicibus, ex eo undique prodeuntibus, longis, usque ad quinque millimetra crassis simplicibus, mollibus, sulcatis, cortice crassiusculo, extus griseo-fusco, intus sordide albo, in sectione transversa notato receptaculis balsamiferis fulvis, radiatim dispositis, amplioribus orificiis vasorum ligni subflavi, grosse radiatim striati.

Radix Angelicae est odoris penetrantis, aromatici, saporis acris, condimentarii, subdulcis. Rejiciatur insectis corrosa; servetur in vasis bene clausis.

Acetum aromaticum. Electuarium aromaticum.

Radix Arnicae.

Rhizoma Arnicae.

Arnica montana, vide: *Flores Arnicae.*

Rhizoma horizontale aut obliquum, praemorsum, siccatum subcylindricum, plerumque arcuatum vel sigmoïdeum, usque ad unum decimetrum longum, tria ad quinque millimetra crassum, asperum, subtuberculatum, durum, extus rubro-fuscum, ad extremitatem anteriorem caulis foliorumque residuis et solummodo inferne radicibus copiosis, circiter unum millimetrum crassis, fragilibus instructum, odoris debilis aromatici, saporis acri-aromatici, diu permanentis et amariusculi.

Sectio transversa rhizomatis offert stratum corticale sat latum, albido-griseum, in regione intima, proxime a ligno e fasciculis cuneiformibus subcitrinis et radiis

medullaribus latis, albidis composito, circulo ductuum balsamiferorum ornatum, et medullam amplam albidam.

Radix Arnicae vere vel autumno colligatur nec confundatur cum rhizomate *Hieracii murorum* (Linn.), *Fragariae vescae* (Linn.) et *Betonicae officinalis* (Linn.), ductibus balsamiferis destituto nec cum rhizomate crassiore, undique radicato *Eupatorii cannabini* (Linn.).

Tinctura.

Radix Bardanae.

Lappa vulgaris Neilreich, planta biennis, per totam fere Europam crescens. *Compositae.*

Radix simplex aut subramosa, fusiformis vel subcylindrica, carnosa, siccata saepe subtorta, quinque ad decem millimetra crassa, in extremitate superiore saepe residuum caulis albido-tomentosum ferens, extrinsecus longitudinaliter rugosa, e nigrescente fusca, dura, fractura subcornea, in sectione transversa cortice crassiusculo, albo, remote obscure radiato et ligno albido, fasciculis ligni flavidis aut fuscescentibus, minutim porosis, grosse radiatim striato, saporis subdulcis, paulo mucilaginosi.

Parenchyma radicis, amylo et crystallis calcii oxalici omnino carentis, inulino repletum est.

Colligatur autumno primi vel vere secundi anni et bene siccata loco sicco servetur. Rejicienda est radix adultior lignosa, aut e planta culta desumta major, in segmentis plerumque per longitudinem fissis, coloris dilutioris, fusco-grisei aut cinerei.

Species Lignorum.

Radix Belladonnae.

Atropa Belladonna vide: *Folia Belladonnae.*

Radix fusiformi-cylindrica, ramosa, sordide alba vel ochroleuca, carnosa, siccata in segmentis cylindricis, saepe per longitudinem fissis, ad decimetrum et ultra longis, unum ad duo centimetra crassis, extus cinereis, per longitudinem leviter rugosis, aut laeviusculis, intus albis aut albidis, farinosis, in fractura subaequali pulverem emittentibus, odoris nullius, saporis initio subdulcis, deinde amari, acris.

Sectio transversa, solutione jodi humectata induens colorem atro-caeruleum, nec cortice, nec ligno manifeste radiatim striata, fasciculis ligni paucis, exiguis, citrinis, porosis, versus lineam cambialem annulatim approximatis, intus sparsis. Ope microscopii observantur numerosi utriculi, repleti pulvere crystallino calcii oxalici, in parenchymate amylo composito feto.

Fodiatur radix plantae florentis et fructus gerentis et rejectis partibus quoquo modo vitiatis, celeriter siccata caute nec ultra annum in vase optime clauso loco sicco servetur.

Radix lignosa, tenax, fractura fibrosa, in sectione transversa ligno citrino, radiatim striato instructa aeque ac radix vere collecta et siccata, extus grosse rugosa, fuscescens, fractura subcornea, amylo fere omnino carens, rejiciatur.

Radix Calami aromatici.

Rhizoma Acori.

Acorus Calamus Linn., planta perennis in Asia indigena, nunc in locis paludosis Europae mediae ubique sponte crescens. *Araceae.*

Rhizoma sero autumno effossum et leni calore siccatum occurrit in frustis subcylindricis, paulum compressis aut per longitudinem fissis, in parte superiore alternis vicibus stigmata foliorum trigona, aliquantum depressa, coloris fuscescentis et internodia longitudinaliter rugosa, rubescentia aut olivaceo-brunescentia ostendens, a latere hinc inde stigmata scaporum, in parte inferiore radicum cicatrices parvas, orbiculares, excavatas, in curvaturis simplicibus aut duplicibus dispositas.

Textura mercis levis, intus albido-rubentis, odoris peculiaris aromatici, saporis amari, aromatici est subspongiosa, propter canales aëriferos numerosos in parenchymate, amylum in granulis perpusillis continente nec non in innumerabilibus cellulis globosis oleum aethereum.

Extractum. Tinctura. Species amaricantes. Tinctura Absinthii composita.

Radix Calumbae.

Iateorrhiza Calumba Miers, planta ad littora Africae orientalis intertropica habitans. *Menispermaceae.*

Radix flava, siccata, occurrit in segmentis transversis orbicularibus ellipticisve, usque ad duo centimetra crassis,

tria ad octo centimetra in diametro, intermixtis raris segmentis longitudinalibus. Sectio transversa radicis satis levis, compactae, farinosae, saporis peramari, extus peridermate rugoso, griseo-fusco obtectae, exhibet stratum corticale latum, in extrema parte citrinum, introrsus pallidius et remotis lineis fuscis radiatim signatum, linea circulari pulla cambii terminatum, et lignum centrale subcitrinum aut cinereo-flavescens, grosse delineatum radiis fasciculorum ligni passim interruptis, griseo-fuscis, porosis. Parenchyma radicis scatet granis amyli haud exiguis, plerumque simplicibus, stratis excentricis ornatis.

Sectio radicis solutione kalii hydrooxydati humectata colorem fusco-rubrum, solutione jodi colorem caeruleum induit.

Extractum.

Radix Filicis maris.

Rhizoma Filicis maris.

Aspidium Filix mas Swartz, planta perennis monticola fere totius Europae. *Filices. Polypodiaceae.*

Rhizoma superficiale obliquum, obconicum, unum ad tria decimetra longum, unum ad duo centimetra crassum, undique emittens radices fibrillosas atro-rufas descendentes et circumvallatum phyllopodiis confertis, arcuatis, adscendentibus, compressiusculis, aliquot centimetra longis, octo ad decem millimetra latis, extrinsecus atro-fuscis, squamis paleaceis ferrugineis obtectis, intus ut rhizoma ipsum carnosis, laete viridibus.

In sectione transversa phyllopodia ornata sunt circulo simplici e paucis fasciculis vasorum remotis.

orbicularibus, ellipticis aut reniformibus in parenchymate laete viridi; rhizoma ipsum in conspectum dat praeterea circulum irregularem externum fasciculorum minorum.

Radix est saporis subdulcis, adstringentis, deinde subacris. Colligatur autumno et quotannis renovetur. Ad pulverem parandum rhizoma a phyllopodiorum partibus non medullosis, paleis radicibusque fibrillosis liberatum, una cum phyllopodiis decorticatis caute siccetur et pulvis laete viridis in vasis bene obturatis, luci imperviis servetur. Pulvis coloris flavidi aut cinnamomei rejiciatur.

Extractum.

Radix Gentianae.

Gentiana lutea Linn. et *Gentiana Pannonica* Scopoli, plantae perennes, in pratis subalpinis et alpinis Europae mediae spontaneae. *Gentianaceae.*

Radix carnosa, plerumque pluriceps et parum ramosa, siccata in segmentis decimetrum et ultra longis, duo ad quinque centimetra crassis, cylindricis, interdum per longitudinem sectis, superne annulis approximatis transversim, caeterum longitudinaliter grosse rugosis, extrorsum subrufo-fuscis, introrsum colore fusco-flavo, fragilibus, fractura aspera, sed humiditate atracta tenacibus et flexibilibus, odoris dulciusculi, caricas siccatas referentis, saporis peramari, faucibus diu adhaerentis.

Sectio transversa radicis fere aequaliter fusco-flava, annulo cambiali e nigro-fusco, nitente et ligno parum manifeste radiatim striato. Parenchymati amylum omnino deest.

Extractum. Species amaricantes. Tinctura Absinthii composita. Tinctura amara. Tinctura Chinae composita.

Radix Graminis.

Rhizoma Graminis.

Triticum repens Linn., planta rediviva, ad vias, sepes, in agris frequentissima. *Gramineae.*

Rhizoma longissimum, ramosum, siccatum ad tria millimetra crassum, internodiis duo ad quatuor centimetra longis, fistulosis, extus sulcatis, laevibus, nitentibus, coloris straminei, solummodo ad nodos intus clausos radicibus tenuibus et vaginis membranaceis, albidis, fimbriatis obsitum.

Sectio transversa internodii exhibet cavum centrale et annulum subcitrinum e fasciculis vasorum continuum, extus circumdatum strato albo, amylo carente, corticali.

Fodiatur vere, antequam culmi prodierint, et resectis radicibus siccatum servetur. Plerumque rhizoma, saporis subdulcis, concisum in mercatura provenit,

Extractum.

Radix Hydrastidis.

Rhizoma Hydrastidis.

Hydrastis Canadensis Linn., planta perennis Americae borealis. *Ranunculaceae.*

Rhizoma obliquum aut horizontale, siccatum arcuatum, flexuosum, passim subtuberosum, quatuor ad quinque centimetra longum, quatuor ad octo millimetra crassum, multiceps-ramosum, ramis brevibus, sursum cicatrice caulis excavatis, subannulatum, undique emittens radices tenues, fragiles eorumque reliquiis in superficie per

longitudinem rugosa, obscure fusca gibbosum, asperum, rigidum, durum, in fractura subaequali cornea pulchre flavum, in sectione transversa circulo e nonnullis ligni fasciculis, plerumque cuneiformibus, angustis, remotis, passim vero approximatis, obscure fuscis, inter corticem crassiusculum et medullam orbicularem. Saporis est nauseoso-amari, masticando salivam colore flavo tingens.

Extractum fluidum.

Radix Ipecacuanhae.

Cephaëlis Ipecacuanha Willdenow, planta perennis, in silvis humidis Brasiliae spontanea. *Rubiaceae.*

Radices, e rhizomate tenui nodoso repente ortae, siccatae, integrae, flexuosae, ad extremitates attenuatae, plerumque autem in fragmentis, quoad longitudinem inaequalibus, quatuor ad quinque millimetra crassis, in superficie annulato-nodosis, nodis approximatis et per longitudinem delicate striatis, coloris plerumque griseo-fusci, saepe nigrescenti-fusci, cortice crasso, fragili, fractura subcornea, facillime separabili a ligno terete, tenaci, odoris debilis, mucidi, saporis nauseosi, amari et subacris.

In sectione transversa apparet cortex albido-griseus, latitudine aequans aut superans lignum centrale compactum, subflavescens, haud manifeste radiatim lineatum, subtilissime porosum. Sub microscopio tela corticis lignique scatens amylo composito et numerosae cellulae raphidibus calcii oxalici repletae observantur.

Tinctura. Syrupus. Trochisci. Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Radix Iridis.

Rhizoma Iridis.

Iris Germanica Linn., *Iris pallida* Lamarck et *Iris Florentina* Linn., plantae redivivae, in Europa australiore indigenae, inprimis in Italia superiore cultae. *Iridaceae.*

Rhizoma horizontale furcato-ramosum, constricto-articulatum decorticatum et siccatum, odorem violarum spargens, occurrit in frustis, constantibus ex articulis singulis, binis ternisve, rarius pluribus inter se conjunctis, usque ad decimetrum longis, tria ad quatuor centimetra latis, tuberosis, plerumque ovatis aut ovalibus, depressis, rarius subcylindricis, latere superiore paulo convexo vestigiis foliorum obsolete annulatis, latere inferiore subplano radicibus resectis minute cicatrisatis, albis aut albidis, ponderosis, duris, in fractura aequali compactis, farinosis.

Sectio transversa probat stratum corticale, coloris albi, satis angustum et partem centralem amplissimam, plerumque coloris e subflavo-albidi, fasciculis vasorum sparsis, versus endodermidem subtilissimum copiosioribus. In parenchymate rhizomatis, scatente granulis amyli simplicibus plerumque oblongis, in una parte truncatis, ample excavatis, inveniuntur numerosae crystalli prismaticae grandes calcii oxalici in utriculis tenerrimis.

Pulvis dentifricius albus.

Radix Jalapae.

Tubera Jalapae.

Ipomoea Purga Hayne, planta perennis, in montibus Mexicanis spontanea. *Convolvulaceae.*

Tubera subglobosa, pyriformia, turbinata vel oblonga, nucis juglandis usque pugni magnitudine, integra, incisa vel dissecta siccata, compacta, dura, ponderosa, extrinsecus longitudinaliter rugoso-tuberculata aut irregulariter reticulato-rugosa, obscure fusca, quasi fumosa, inter rugas nigricantia, resinoso-nitentia, fractura subconchata, neque fibrosa neque lignosa, in sectione transversa colore ex albido griseo, cortice angusto, annulo resinoso separato a ligno amplissimo, zonis concentricis pullis e cellulis resiniferis, in tuberibus amplioribus solummodo in externa parte his zonis instructa, deinde lineis brevibus arcuatis, punctis et maculis pullis signata, odoris peculiaris debilis, saporis initio dulciusculi, nauseosi, deinde acris, faucibus diu haerentis.

Microscopio explorata radix probat lignum, compositum maxima ex parte e parenchymate, amylo composito feto, frequentissimis cellulis crystallos calcii oxalici stellatas gerentibus utriculisque numerosissimis resiniferis, per longitudinem cohaerentibus et partim confluentibus, includens fasciculos ligni paulo amplos, radiatim dispositos et interruptum stratis concentricis telae cambialis.

Contineat radix minimum in centum partibus decem partes resinae in aethere parum solubilis.

Rejicienda tubera mucida, cariosa, aut levia, mollia, intus farinosa, extractione spiritu vini resina partim

spoliata aeque ac radices aliarum specierum *Ipomoeae,* ut radix lignosa, in fractura valde fibrosa *Ipomoeae Orizabensis* (Ledanois), sub nomine Radicis Jalapae levis seu fusiformis *(Stipites Jalapae)* nota, aut radix tuberosa *Ipomoeae simulantis* (Hanbury), similis quidem radici Jalapae verae, sed resinam praebens in aethere plane solubilem.

Resina. Pilulae laxantes.

Radix Liquiritiae.

Glycyrrhiza glabra Linn., planta perennis in Europa australiore et in Asia austro-occidentali indigena, apud nos et in aliis terris passim culta. *Leguminosae. Papilionaceae.*

Frusta radicis siccatae cylindrica, variae longitudinis, usque ad duo centimetra crassa, ponderosa, tenacia, in fractura grosse et rigide fibrosa, extus e griseo fusca, grosse rugoso-sulcata, in sectione transversa coloris obscure flavi, et cortice crassiusculo et ligno compacto grosse radiatim striato, saporis dulcis cum aliqua acredine.

Extractum. Decoctum Sarsaparillae compositum fortius et mitius. Species Althaeae. Species Lignorum. Species pectorales.

Radix Liquiritiae mundata.

Glycyrrhiza echinata Linn., planta perennis, in Europa austro-orientali et in Asia occidentali spontanea. *Leguminosae. Papilionaceae.*

Radix valida fusiformis, siccata et cortice exteriore fusco deglupto, nobis advecta e Russia in segmentis diversae longitudinis, duo ad quatuor centimetra crassis, aequaliter dilute flavis, in fractura valde fibrosis, in superficie externa fibroso-scabriusculis, in sectione transversa grosse radiatim striatis, plerumque etiam radiatim fissis, saporis perdulcis.

Gelatina Liquiritiae pellucida. Pulvis Liquiritiae compositus. Pulvis gummosus.

Radix Ononidis.

Ononis spinosa Linn., suffrutex in arvis et campis obvius. *Leguminosae. Papilionaceae.*

Radix multiceps, subcylindrica, ramosa, siccata, quam plurimum decem ad quindecim millimetra crassa, non raro compressa, curvata et torta, saepe per longitudinem rimata et in fibras dissoluta, lignosa, tenacissima, extus e griseo fusca, in sectione transversa exhibens corticem tenuem fuscum et lignum subflavum, radiis medullaribus albis, quoad latitudinem maxime differentibus, eleganter flabellatim notatum. Saporis est subacerbi, subacris cum aliqua dulcedine.

Radix Pyrethri.

Anacyclus Pyrethrum DC., planta mediterranea, in Algeria imprimis spontanea et culta. *Compositae.*

Radix plerumque simplex siccata, in frustis fusiformibus, subcylindricis aut obtuse angulatis, sex ad duodecim centimetra longis, unum ad tria centimetra

crassis, superficie rugosa, fusca. Sectio transversa radicis durae, resinoso-nitens, exhibet stratum corticale sat latum, ex albido fuscescens, pluribus receptaculis balsamiferis atro-fuscis punctatum et lignum grosse radiatim notatum fasciculis lignosis angustis subflavis et radiis medullaribus latioribus, ex albido griseis, itidem receptaculis balsamiferis instructis.

Radix, ex toto amylo carens, est inodora; masticata sensationem fere causticam producit, salivam copiose ciens.

Tinctura Spilanthis composita.

Radix Ratanhiae.

Krameria triandra Ruiz et Pavon, planta suffruticosa in Peruvia crescens. *Leguminosae. Caesalpinaceae.*

Radices lignosae, longae, imo longissimae, quae a trunco crassiore, nodoso, multicipite oriuntur, cylindricae, flexuosae, ad unum et dimidium centimetrum crassae, cortice facile separabili, extus obscure e fusco rubro, subglabro, subrugoso vel subrimato, in fractura breviter fibroso, saporis valde adstringentis, subamari.

In sectione transversa lignum compactum, ochroleucum vel subrubicundum, radiis medullaribus subtilibus, densissimis et orificiis vasorum exiguis numerosis ornatum, circumdatum est cortice e fusco rubro, sexduplo tenuiore.

Radix cortice orbata aeque ac radix aliarum *Krameriae* specierum vitanda.

Extractum. Tinctura.

Radix Rhei.

Rheum palmatum Linn., *Rheum officinale* Baillon et verosimiliter aliae *Rhei* species, adhuc non satis cognitae, spontaneae in alpibus Chinae boreali-occidentalis. *Polygonaceae.*

Radix valida concisa, siccata et decorticata. Merx, nobis advecta e China, sistit segmenta multiformia: cylindrica, subcylindrica, conica, subglobosa aut planoconvexa, non raro forata, extrinsecus pulvere laete flavo conspersa, plerumque dura et ponderosa, in fractura inaequali aspera, albo, aurantiaco, rubro aut fusco-rubro variegata.

Sectio transversa probat sive prope marginem zonam densiorem, radiatim signatam per vices lineis albis et rubris aut aurantiacis et partem mediam medullaeformem amplam, punctis et maculis flavis et rubris variegatam, figuris radiatis parvis in circulum dispositis; sive telam punctis, maculis et lineis multifarie intricatis variegatam, figuris illis radiatis irregulariter sparsis per totam superficiem, passim confluentibus.

Cellulae parenchymatis continent partim amylum compositum et particulas coloris aurei splendentes, ferro sesquichlorato colorem obscure caeruleum induentes, in kalio hydroxydato colore sanguineo solubiles, partim crystallos frequentissimas grandes calcii oxalici. Propterea radix masticata inter dentes stridet et salivam colore flavo tingit. Pulverem praebet laete flavum; odoris est peculiaris, saporis amaricantis et adstringentis.

Rejicienda est radix vetusta, cariosa, spongiosa, mucida.

Radicem Rhei in Europa cultam, in segmento transverso aut plane usque ad centrum radiis rectis, alternatim rubris et albis instructam, aut solummodo in ambitu radiatim lineatam, ad centrum versus albo- et rubro-punctatam, figuris radiatis orbam, adhibere non licet.

Extractum. Syrupus. Tinctura aquosa et vinosa.

Radix Salep.

Tubera Salep.

Species diversae generum *Orchidacearum*, ut: *Orchis, Ophrys, Platanthera, Gymnadenia.*

Tubera aqua fervida tractata, tum siccata, subglobosa, ovalia, ovata aut oblonga, integra aut rarius palmatim partita, unum ad tria et dimidium centimetra longa, basi gemma caulinari umbilicata, plerumque plus minus corrugata, superficie irregulariter sulcata, lacunosa et passim reticulato-rugosa, nunc sublaevia, nunc paulum aspera, coloris subfusco-grisei aut albo-flavescentis, margine subpellucida, ponderosa, subcornea, inodora, valde mucilaginosa.

Microscopio explorata excellit radix Salep inprimis utriculis numerosis grandibus mucilagine repletis in parenchymate amylo feto.

Pulverata radix, partibus 50 aquae cocta, mucilaginem post refrigerationem satis spissam praebet, quae addita solutione jodi colorem caeruleum trahit.

Cave ne tubera Colchici autumnalis intermixta sint, dignoscenda praecipue sulco longitudinali in parte minus convexa aut plana, granulis amyli regulariter compositis et defectu utriculorum mucilaginem gerentium.

Radix Sarsaparillae.

Sarsaparilla de Honduras.

Smilacis species non satis nota Americae centralis. *Liliaceae. Smilaceae.*

Radices secundariae praelongae, calami scriptorii ut plurimum crassitie, teretes, flexiles, extrorsum longitudinaliter striato-sulcatae, coloris obscure fusci aut fusco-grisei, saporis paulo mucilaginosi, deinde acris.

In sectione transversa annulus fasciculorum vasorum clausus, radiis medullaribus non instructus, porosus, flavescens aut citrinus, includens medullam amplam, albam, circumdatus est strato corticali farinoso, albo vel subrubello, circiter duplo latiore. Sub microscopio observaberis cellulas endodermidis simplicis in ambitu annuli ligni in sectione transversa forma fere quadrati, parum et fere aequabiliter incrassatas, et parenchyma strati corticalis medullaeque scatens amylo composito.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius et mitius. Species Lignorum.

Radix Sassafras.

Lignum Sassafras.

Sassafras officinalis Nees, arbor Americae borealis. *Lauraceae.*

Radix valida, ramosa, lignosa, siccata, in frustis variae magnitudinis cylindricis, interdum flexuosis, cortice crassiusculo, molli, suberoso, friabili, extus rimoso, cinereo, intus e rubro fusco, ligno levi, molli, subspongioso, pallide subfusco aut pallide rubente, in segmento trans-

verso praesertim ad initium annuli cujusque anni concentrici manifeste poroso, radiis medullaribus subtilissimis, approximatis exarato, odoris foeniculacei, saporis subdulcis.

In mercatura saepius obvenit scissum. Lignum trunci, aromate fere omnino carens, rejiciendum est.

Species Lignorum.

Radix Senegeae.

Polygala Senega Linn., planta perennis Americae borealis. *Polygalaceae.*

Radix siccata, ad decimetrum longa, sub basi multicipite tuberculoso-nodosa, saepe residuis caulinis praedita, raro ultra octo millimetra crassa, simplex aut subramosa, apicem versus sensim attenuata, plerumque arcuata, falcata aut tortuosa, in interiore curvaturae latere carina corticali plus minus arguta notata, in latere opposito rugosa, callosa, torosa, extus coloris flavidi aut griseo-fuscescentis, odoris peculiaris, saporis acris.

Sectio transversa radicis, amylo ex toto carentis, probat corticem albidum sat latum et lignum centrale subflavum, radiis medullaribus subtilibus notatum, in latere carinae corticali opposito plerumque truncatum aut excisum.

Syrupus.

Radix Taraxaci.

Taraxacum officinale, vide: *Folia Taraxaci.*

Radix multiceps, cylindrico-fusiformis, succo lacteo scatens, siccata rigida, fractura aequali, plerumque unum

ad duo centimetra crassa, extus fusca, longitudinaliter grosse rugosa. In sectione transversa apparet lignum centrale citrinum, porosum, neque radiatum, circumdatum cortice lato, albo, lineis fuscis concentricis tenerrimis ornato.

Fodiatur radix inodora, saporis amari, sero autumno et bene siccata servetur.

Extractum.

Radix Valerianae.

Rhizoma Valerianae.

Valeriana officinalis Linn., planta rediviva indigena, in silvis, nemoribus, ad sepes frequens. *Valerianaceae.*

Rhizoma siccatum obovatum, vulgo caulis foliorumque vestigiis coronatum, interdum stoloniferum, ad quatuor centimetra longum, duo ad tria centimetra crassum, intus saepe excavatum, extrinsecus subannulatum et undique obsitum radicibus copiosissimis longis, ad duo millimetra crassis, teretibus, longitudinaliter striatis, fragilibus, coloris fusci. Odoris est specialis, fragrantis, haud grati, saporis subdulcescenti-amaricantis, aromatici.

In sectione transversa rhizomatis centrum medullare amplissimum, margine undulatum, cinctum est circulo angusto diffuso fasciculorum ligni inaequalium et hicce strato corticali tenui, plerumque fusco, subresinoso-nitente. Sectio transversa radicum ostendit lignum centrale tenue, circumdatum cortice lato.

Fodiatur radix vere in locis montanis siccis. Servanda in vasis bene clausis.

Tinctura.

Radix Zedoariae.

Rhizoma Zedoariae.

Curcuma Zedoaria Roscoe, planta perennis, in Asia tropica indigena. *Zingiberaceae.*

Cormus ovalis aut pyriformis, annulatus, per transversum, interdum per longitudinem sectus et siccatus.

Occurit plerumque in frustis disciformibus orbiculatis, ad quatuor centimetra latis, quinque ad decem millimetra crassis, coloris generaliter e griseo subfusci aut subrubescenti-grisei, extrinsecus peridermate ochroleucofuscescente singulisque radicum fragmentis praeditis, crassioribus residuis foliorum annulatis, duris, in fractura aequali solidis, odoris aromatici subcamphoracei, saporis aromatici, subamari.

Sectio transversa albido-grisea, numerosis punctata cellulis olëiferis et fasciculis vasorum disjectis, stratum angustum perifericum probat, a parte centrali ampla linea endodermidis albida separatum.

Acetum aromaticum.

Radix Zingiberis.

Rhizoma Zingiberis.

Zingiber officinale Roscoe, planta perennis, in Asia tropica indigena, ibidem atque in aliis terris tropicis frequenter culta. *Zingiberaceae.*

Rhizoma tuberoso-ramosum, superficialiter annulatum, depressum, radicibus orbatum, partim decorticatum,

concisum et siccatum, sistit frusta plerumque palmatim aut utrinque ramosa, ramis brevibus obtusis, subtuberosis aut paulo productis et prorsum arcuatis, circiter duo centimetra lata, octo ad decem millimetra crassa, in superiore et inferiore parte planiuscula, decorticata, coloris plumbei, in lateribus peridermate coloris ochracei, grosse rugoso obtecta, tenacia, satis compacta, fractura paulo fibrosa, odoris specialis grate aromatici, saporis acri-aromatici.

In sectione transversa, coloris albidi vel albido-grisei, tela corticalis aeque ac pars centralis, intra lineam endodermidis tenerrimam, copiosissimis cellulis oleiferis fuscis aut citrinis punctata apparet.

Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum

Resina Dammar.

Agathis loranthifolia Salisbury et aliae arbores Indiae orientalis. *Coniferae. Araucarieae.*

Grana rotundata, oblonga, pyriformia aut stalactica, aut massae deformes variae magnitudinis, coloris subcitrini, pellucidae, fragiles, in fractura conchata vitri instar nitentes, facile in pulverem album, odoris fere expertem conterendae, sub digitis paulo glutinosae, in aethere, chloroformio et carboneo sulfurato copiose, minus in spiritu vini solubiles, solutionibus admodum glutinantibus.

Emplastrum adhaesivum.

Resina Guajaci.

Guajacum officinale, vide: *Lignum Guajaci.*

Succus resinosus, ex arbore sponte vel arte vulnerata manans, aëre induratus aut decoquendo vel eliquescendo duraminis obtentus, occurrit modo in granis globosis subglobosisque variae magnitudinis, modo in massis deformibus nigro-viridibus subbadiisve, extus pulvere subviridi conspersis, duris, fragilibus, fractura vitreo nitore, in particulis minutissimis pellucidis, pallide viridi-subfuscis, saporis subacris, amaricantis, odoris peculiaris debilis, sub calore magis emergentis.

Resina in pulverem redacta albescit, substantiis oxydantibus viridescit aut caerulescit; solvitur in spiritu vini concentrato et kalio hydrooxydato.

Tinctura.

Resina Jalapae.

Rpe: **Radicis Jalapae ruditer tusae** *grammata quingenta.* 500

Infundendo cum

Aquae fervidae *q. s.*

macera per tres dies, dein exprime et sicca.

Siccatis affunde

Spiritus Vini concentrati *grammata mille.* 1000

Post digestionem per viginti quatuor horas liquorem defunde, residuum expressum cum spiritus vini concentrati eadem quantitate denuo digere et hanc digestionem tertia vice repete. A tincturis filtratis et commixtis spiritus vini in balneo aquae destillando separetur. Residuum immitte in aquam destillatam bullientem et coque, ut spiritus

ultima vestigia extricentur, dein resinam a liquore supernatante separa, aqua fervida optime elue et elotam in vas porcellaneum immissam calefac in balneo aquae, donec pars exempta et refrigerata facile friabilis fiat.

In bacillos formatam serva.

Sit fracturae splendentis, coloris e flavo fusci, friabilis; facile in spiritu vini, parum in aethere solvatur; in oleo terebinthinae et in chloroformio insolubilis sit. In quinque partibus ammoniae calefaciendo solvatur; solutio effecta post refrigerationem nec in gelatinam abeat, nec acido hydrochlorico acidula facta turbetur.

Roob Juniperi.

Rpe: **Fructuum Juniperi maturorum recentium** *q. v.*
Contusos coque in
Aquae destillatae *s. q.*
donec mollescant, dein exprime.

Liquor colando depuratus evaporetur ad mellis spissitudinem, deinde
Succi inspissati *ternis partibus*
addatur
Sacchari pulverati *pars una*
et leni calore inspissetur in roob.

Roob Sambuci.

Rpe: **Fructuum Sambuci recentium** *q. v.*

Calefac agitando usque ad ebullitionem, deinde liquorem per cribrum setaceum transmitte et residuum

sacculo linteo inclusum ope preli exprime. Succum expressum et colatum coque ad extracti spissi consistentiam, tum adde

Succi inspissati *novenis partibus*

Sacchari pulverati *partem unam*

et leni igne sub continua agitatione evapora ad roob consistentiam.

Electuarium lenitivum.

Rotulae Menthae piperitae.

Rpe: **Rotularum Sacchari** *grammata septuaginta* 70

humecta cum miscella ex

Olei Menthae piperitae

Aetheris *ā̄a grammate uno* 1

in vase idoneo agitando.

In vase vitreo bene clauso serva.

Saccharum.

Frusta crystallina compacta, sicca, albissima, in aëre immutabilia.

Saccharum cum pondere dimidio aquae destillatae sine ullo residuo solutum, syrupum efficiat coloris et odoris expertem, qui omni proportione cum spiritu vini mixtus, liquorem limpidum praebeat. Solutio Sacchari sive aquosa sive spirituosa chartam exploratoriam ne mutet, aquosa, solutione ammonii oxalici ne illico, baryi nitrici, argenti nitrici aut natrii sulfurici vix turbetur.

Saccharum Lactis.

Saccharum Lactis, e sero lactis vaccini paratum, prostat in tabulis aut crustis crystallinis, plerumque in baculis cylindricis, apice conicis, ad sex centimetra crassis, duris, e crystallis compositis grossis, prismaticis, albidis, subpellucidis, inodoris, saporis subdulcis, inter dentes stridentibus, radiatim aggregatis et coalitis, pulverem praebentibus album, qui solvitur lente in aqua frigida, facillime in aqua fervida.

Saccharum Lactis odoris rancidi et coloris flavi rejiciatur.

Santoninum.

Crystalli tabulaeformes vel lamellae squamosae, decolores, saporis amari, lucis influxu flavescentes, calefactae liquescunt (sub temperatura 170°) et tum partim sublimant, partim decomponuntur.

Santoninum in aqua frigida nonnisi parum, fervida difficile solvitur. Spiritus vini frigidi partes 43, bullientis 3, aetheris partes 72, chloroformii partes 4, santonini partem unam solvunt.

Solutio spirituosa, addito kalio hydrooxydato soluto, colore coccineo sensim transeunte tingitur. Cum alcalibus et calcaria Santoninum conjunctiones in aqua facile solubiles init.

Santoninum in centum partibus aquae et quinque partibus acidi sulfurici diluti coctum et refrigeratum sa-

porem amarum perdit; liquor filtratus kalio chromico addito ne turbetur.

Servetur in vitro luci impervio.

Trochisci.

Sapo kalinus.

Sapo venalis, coctione kalii hydrooxydati soluti et olei pinguis paratus, exhibet massam mollem lubricam, coloris sordide fusci, odoris peculiaris ingrati.

Aëri expositus non durescit; in aqua et spiritu vini facile solvatur, oleo nullo secedente.

Spiritus Saponis kalini. Unguentum sulfuratum.

Sapo medicinalis.

Rpe: **Natrii hydrooxydati soluti p. sp. 1·35**
grammata centum 100

calefactis sensim admisce inter continuam agitationem
Axungiae Porci recentis, leni calore liquatae
grammata ducenta. 200

Mixtione peracta in balneo aquae stent subinde agitando, donec axungia penitus disparuerit.

Massa refrigeratione indurata in tabulas scissa in loco temperato siccetur.

Sit albus, durus, saporis mitis alcalini, non caustici, in aqua et spiritu vini plane solubilis.

Saponem, qui efflorescentiam crystallinam e natrio carbonico constantem exhibet, nondum perfecte depuratum et siccatum censeas. Pulvis crystallinus adhaerens detergendo removeatur.

Pilulae laxantes.

Sapo Venetus.

Ex oleo Olivae paratus, venalis, sit albus, durus, odoris minime rancidi, in spiritu vini diluto penitus solubilis.

Emplastrum saponatum. Linimentum saponato-camphoratum. Spiritus saponatus.

Secale cornutum.

Fungus Secalis.

Claviceps purpurea Tulasne, fungus annuus vel biennis. *Pyrenomycetes.*

Stromata sterilia fungi, in floribus gramineis, praesertim *Secalis cerealis* nascentia obtuse trigona, recta aut arcuata, utrinque attenuata, quindecim ad viginti quinque millimetra longa, tria ad quinque millimetra crassa, extus ex violaceo nigricantia, recenter collecta pruinosa, intus albida aut paullum rubella, fractura solida, odoris fungos redolentis, saporis primo dulciusculi, dein subacris.

Secale cornutum optime siccatum in vitris bene clausis nec ultra annum servetur.

Corrosum, rancidum, odorem ammoniacalem spargens rejiciatur.

Extractum.

Semen Colchici.

Colchicum autumnale Linn., planta rediviva tuberosa, prata humida ubique apud nos inhabitans. *Liliaceae. Colchicaceae.*

Semina perfecte matura siccata, subglobosa, duo ad tria millimetra in diametro, basi strophiola subacuminata, albuminosa, dura, testa extus opaca, rubro-fusca, delicatissime foveolato - punctata. Embryo parvus, rectus, continetur parte periferica albuminis solidi, griseo-albidi, cornei, fere exadversus strophiolam. Sunt saporis peramari et acris; caute nec ultra annum servanda.

Tinctura. Vinum.

Semen Cydoniae.

Cydonia vulgaris Persoon, arbor in Oriente indigena, apud nos frequens culta. *Rosaceae. Pomeae.*

Semina siccata per plura conglutinata, obovata, compressa, angulata aut cuneata, subtriquetra, acutiuscula, quinque ad octo millimetra longa, testa extus e violaceo fusca, membranula albida, opaca obtecta, epithelio e cellulis composito mucum copiosum includentibus, quae humore hausto turgescunt et mox diruptae mucilaginem emittunt, quare semina integra, aqua humectata, lubrica fiunt et cum aqua conquassata, liquorem mucilaginosum praebent.

Mucilago.

Semen Lini.

Linum usitatissimum Linn., planta annua, apud nos frequentissime culta. *Linaceae.*

Semina ovata, compressa, margine attenuata, quatuor ad quinque millimetra longa, a latere apicis obtusi, sub-

obliqui hilo leviter impressa, testa laevissima, nitida, fusca, tenui, rigida, epidermide mucilaginoso instructa, inde in aqua emollita lubrica, nucleo albido vel subviridi, amylo carente, saporis mitis oleosi, haud rancidi.

Quotannis renovanda.

Species emollientes.

Semen Myristicae.

Nux moschata.

Myristica fragrans vide: *Macis.*

Nuclei seminis, forma ovali aut subglobosa, duo ad tria centimetra in diametro, ponderosi, extus reticulato-rugosi, subfusci, plerumque pulvere albo adspersi, basi hilo, apice chalaza et in parte paullo minus convexa raphe sulcata instructi, albumine griseo-albo, oleoso - farinoso, basi embryonem continente, plicis membranae integumenti internae obscure fulvis ruminato, odoris et saporis eximie aromatici.

Nuclei mucidi, leves, ab insectis corrosi, nec non oblongi et majores, saporis et odoris debilioris, *Myristicae fatuae* (Houtt.) progenies, rejiciantur.

Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum. Spiritus aromaticus.

Semen Quercus.

Quercus pedunculata et *Quercus sessiliflora,* vide: *Cortex Quercus.*

Semina matura siccata, exalbuminosa, constant e cotyletonibus duobus, saepe jam separatis, oblongis vel

ovato-oblongis, plano-convexis, duo ad duo et dimidium centimetra longis, crassis, duris, rigidis, pallide subfuscis, in dorso convexo longitudinaliter sulcatis, in parte suprema superficiei internae planae aut subconcavae parva radicula vel scrobiculo oblongo instructis, intus albidis vel ochroleucis, saporis subdulcis, subamari et adstringentis.

Immatura, insectis corrosa vel vetustate corrupta rejiciantur.

Semina in vase ferreo sub continua agitatione tamdiu torrefecta, donec colorem fuscum induerint et facile frangantur, praebent **Semen Quercus tostum.** Refrigerata in pulverem grossiusculum contunde.

Semen Sabadillae.

Sabadilla officinarum Brandt, planta bulbosa, spontanea in Andibus Mexicanis, in Guatimala et Venezuela. *Liliaceae. Colchicaceae.*

Semina oblonga aut lanceolata, sursum acuminata, irregulariter angulosa, circiter octo millimetra longa, albuminosa, testa tenui, nitente, fusco-nigra, rugulosa. Embryo parvus continetur basi albuminis solidi, carnosi, albidi.

Sunt saporis amari et acris; caute servanda.

Unguentum.

Semen Sinapis.

Brassica nigra Koch, planta annua, apud nos indigena et culta. *Cruciferae.*

Semina matura sicca, subglobosa, diametro unius ad sesquimillimetri, testa extus fusco-rubra, sub lente subtilissime reticulato-foveolata, embryone exalbuminoso, subviridi-flavo, oleoso, conduplicato, cotyledonibus binis applicativis, radicula cylindrica adscendente, inodora, manducata saporis ab initio subamari, subacidi et oleosi, dein peracris, urentis.

Pulvis seminum e subflavo viridescens, **Farina seminum Sinapis**, recens paratus in officinis praesto sit. Aqua humectatus auram explicat volatilem, acerrimam.

Ne adulteratum sit Semen Sinapis cum seminibus aliarum cruciferarum, ut praecipue semine *Brassicae Rapae* (Linn.), majore, laeviore, obscure fusco, minus acri aut semine *Sinapis albae* (Linn.), majore, laeviore, flavo.

Semen Strophanthi.

Generis *Apocyneacearum Strophanthi* species fruticosa Africae tropicae, verosimiliter *Strophanthus hispidus* DC.

Semina comosa, matura, siccata, derupto rostro longo, comato, duodecim ad duodeviginti millimetra longa, tria ad quinque millimetra lata, compressa, plano-convexiuscula, oblongo-linearia aut lanceolata, acuminata, in latere convexiusculo obtuse carinata, fragilia, fractura aequali, indumento crassiusculo, extus tomento griseoviridi e pilis longis, adpressis, sericeo-albicantibus vestito, nucleo, composito e perispermio tenui, subcartilagineo, flavido et ex embryone albo, oleoso-carnoso, cotyledonibus oblongis, radicula longa, cylindrica.

Maceratione in aqua facillime separatur indumentum membranaceum, perispermium et embryo.

Odoris est semen peculiaris, debilis, virosi, saporis amarissimi.

Tinctura.

Semen Strychni.

Nux vomica.

Strychnos Nux vomica Linn., arbor Indiae orientalis. *Loganiaceae.*

Semina discoidea, saepe sub-incurvata, margine incrassata, centro umbonata, duo ad duo et dimidium centimetra in diametro, indumento molli, sericeo, subviridi- vel subflavo-griseo e pilis adpressis dense vestita, hilo marginali veruculaeformi, albumine cartilagineo albido aut subglauco, bipartito, margine connato, embryonem excentricum cotyledonibus planis, cordatis, palmatim 5- ad 7-nerviis, foliaceis et radicula tereti instructum includente, saporis amarissimi.

Extractum. Tinctura.

Serum Lactis.

Rpe: **Lactis vaccini recentis** *grammata octingenta.* 800

Ebulliant; sub initio ebullitionis adde

Aceti *grammata octo.* 8

Coagulatione peracta liquorem semirefrigeratum cola et cum

Albumine Ovi gallinacei *unius*

in spumam conquassato mixtum iterum coque. Novitus colato adde

Magnesii carbonici *q. s.*

ad neutralisationem acidi et deinde serum refrigeratum per chartam bibulam filtra.

Si Serum Lactis acidum requiritur, magnesium carbonicum omittetur.

Solutio arsenicalis Fowleri.

Liquor Kalii arsenicosi.

Rpe: **Acidi arsenicosi pulverati**
Kalii carbonici puri *āā gramma unum.* 1
Sedulo tritis et commixtis adde
Aquae destillatae *grammata decem.* 10
Fervefiant in cucurbita ad perfectam acidi arsenicosi solutionem; refrigeratis adde
Spiritus aromatici *grammata quinque* 5
Aquae destillatae *quantitatem sufficientem,*
ut pondus totius solutionis sit *grammatum centum.* 100
Dein filtra.

Sit liquor limpidus, coloris expers, peralcalinus, qui acido hydrochlorico supersaturatus, addita aqua hydrosulfurata copiosum praecipitatum flavum demittit.

Grammata quinque Solutionis arsenicalis cum aquae destillatae grammis viginti et grammate uno natrii hydrocarbonici commixta, consumant minimum jodi milligrammata centum et viginti octo (0·128), ope kalii jodati decigrammis duobus in aquae destillatae centi-

metris cubicis decem (10 CC) soluti. donec guttae aliquot chloroformii, cum miscella conquassatae. colorem rosaceum non amplius evanescentem trahunt.

Species.

Substantiae ad species parandas adhibendae concidendo vel raspando vel contundendo aequaliter comminuantur. Pulvis subtilior comminuendo ortus ammoveatur, nisi ejus commixtio praescripta sit, quo in casu ejus modi species ante dispensationem conquassando rursus commiscendae sunt.

Ad cataplasmata paranda species ad pulverem grossum redigantur.

Species Althaeae.

Rpe: **Foliorum Althaeae** *grammata mille* 1000
Radicis Althaeae *grammata quingenta* 500
„ **Liquiritiae** *grammata ducenta et quinquaginta* 250
Florum Malvae *grammata centum.* 100
Concisa et commixta serva.

Species amaricantes.

Rpe: **Herbae Absinthii**
„ **Centaurii minoris**
Corticis Fructus Aurantii *aā grammata centum* 100
Foliorum Trifolii fibrini
Radicis Calami aromatici

Radicis Gentianae *ā̄a grammata quinquaginta* 50
Corticis Cinnamomi *grammata quindecim.* 15
Concisa et contusa misceantur.

Species aromaticae.

Rpe: **Herbae Origani**
Foliorum Salviae
„ **Menthae crispae**
Florum Lavandulae *ā̄a grammata centum.* 100
Concisa misce.

Species aromaticae pro cataplasmate.

Rpe: **Specierum aromaticarum** *q. v.*
Redige contundendo in pulverem grossum.

Species emollientes.

Rpe: **Foliorum Althaeae**
„ **Malvae**
Herbae Meliloti *ā̄a grammata centum.* 100
Concisis admisce
Seminis Lini contusi *grammata ducenta.* 200

Species emollientes pro cataplasmate.

Rpe: **Specierum emollientium** *q. v.*
Contunde in pulverem grossiusculum.

Species laxantes St. Germain.

Rpe: **Foliorum Sennae sine resina** *grammata triginta quinque* 35
Florum Tiliae *grammata viginti* 20
Fructus Foeniculi *grammata decem* 10
Kalii hydrotartarici pulverati *grammata quinque.* 5

Concisa et contusa bene misce, quod quavis dispensatione repetatur.

Species Lignorum.

Rpe: **Radicis Bardanae**
„ **Sarsaparillae**
āā grammata quinquaginta 50
„ **Liquiritiae**
Ligni Santali rubri
āā grammata viginti quinque 25
„ **Juniperi**
„ **Guajaci**
Radicis Sassafras *āā grammata centum.* 100

Concisa misceantur.

Species pectorales.

Rpe: **Foliorum Althaeae** *grammata ducenta* 200
Radicis Liquiritiae
grammata centum et quinquaginta 150
„ **Althaeae**
Hordei perlati *āā grammata quinquaginta* 50

Florum Verbasci
„ **Malvae**
„ **Rhoeados**
Fructus Anisi stellati $\overline{aa}$ *grammata quinque.* 5
Concisa et contusa misceantur.

Spiritus.

Ad parandos Spiritus destillatos medicinales, substantiae in genere concisae vel contusae adhibeantur, quae ante destillationem cum praescripta spiritus vini quantitate per duodecim horas macerentur; destillatio fiat lege artis in balneo vaporis.

Spiritus destillati medicinales sint odoris et saporis partium volatilium et in spiritu vini solubilium medicaminium, e quibus parantur.

Serventur in lagenis optime clausis, loco obscuro et frigido.

Spiritus Aetheris.

Liquor Hoffmanni.

Rpe: **Aetheris** *grammata viginti quinque* 25
Spiritus Vini concentrati *grammata septuaginta quinque.* 75

Misce et in lagena bene clausa serva.

Sit Liquor limpidus, ponderis spec. 0·820.

Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.

Spiritus Anisi.

Rpe: **Fructus Anisi vulgaris contusi**
grammata ducenta et quinquaginta 250
Spiritus Vini concentrati *grammata mille* 1000
Aquae *grammata mille et quingenta.* 1500
Macera per duodecim horas et abstrahe
grammata mille et quingenta. 1500

Spiritus aromaticus.

Spiritus Melissae compositus.

Rpe: **Foliorum Melissae** *grammata quingenta* 500
Corticis Fructus Citri *grammata ducenta* 200
Fructus Coriandri *grammata trecenta* 300
Seminis Cardamomi
„ **Myristicae**
Corticis Cinnamomi *āā grammata octoginta.* 80
Concisa et contusa infunde cum
Spiritus Vini concentrati *grammatum duobus millibus et quingentis* 2500
et
Aquae *grammatum quinque millibus.* 5000
Macera per duodecim horas et abstrahe
grammatum tria millia 3000

Mixtura oleoso-balsamica. Solutio arsenicalis Fowleri.

Spiritus camphoratus.

Rpe: **Camphorae contusae** *grammata centum* 100
Spiritus Vini diluti *grammata nongenta.* 900
Stent in loco frigido, saepius agitando, donec Camphora soluta sit, deinde filtra.

Spiritus Carvi.

E Fructu Carvi contuso paretur ut Spiritus Anisi.

Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.

Rpe: **Ferri sesquichlorati crystallisati**
grammata quindecim 15
Spiritus Aetheris *grammata centum et octoginta.* 180

Misce conquassando in lagena vitrea bene clausa et solis radiis expone, usque dum decolor evadat, dein liquorem a sedimento separa et limpidum in lagena. epistomeo vitreo obturata tam diu sepone, donec colorem flavum acceperit.

Sit saporis styptici ferrosi.

Spiritus Juniperi.

Rpe: **Fructus Juniperi contusi** *grammata centum*
et quinquaginta 150
Spiritus Vini concentrati *grammata quingenta* 500
Aquae *grammata mille.* 1000

Macera per duodecim horas et abstrahe
grammata sexcenta. 600

Spiritus Lavandulae.

E Floribus Lavandulae paretur ut Spiritus Juniperi.

Spiritus Saponis kalini.

Spiritus Menthae piperitae.

E Foliis Menthae piperitae paretur ut Spiritus Juniperi.

Spiritus Rosmarini.

E Foliis Rosmarini paretur ut Spiritus Juniperi.

Spiritus saponatus.

Rpe: **Saponis Veneti** *grammata centum et viginti quinque* 125
Spiritus Vini concentrati *grammata septingenta et quinquaginta* 750
Olei Lavandulae *grammata duo* 2
Aquae destillatae *grammata ducenta et quinquaginta.* 250

Digere ad perfectam saponis solutionem et filtratum serva.

Spiritus Saponis kalini.

Rpe: **Saponis kalini** *grammata ducenta* 200
Spiritus Lavandulae *grammata centum.* 100

Digere ad saponis solutionem et filtra. In vase bene clauso serva.

Spiritus Sinapis.

Rpe: **Olei Sinapis aetherei** *gramma unum* 1
solve in
Spiritus Vini concentrati *grammis quinquaginta.* 50
Paretur ex tempore.

Spiritus Vini concentratus.

Sit aquae instar limpidus, decolor, odoris et saporis mere spirituosi, reactionis nullius, ab omni inquinatione fermentolei liber, ponderis specifici 0·830—0·834.

Spiritus quavis proportione cum aqua mixtus ne turbetur; additis guttis nonnullis kalii hydrooxydati soluti ad decimam voluminis partem evaporatus et dein acido sulfurico acidulatus, odorem fermentolei ne spargat; in tubo probatorio aequali volumini acidi sulfurici concentrati caute superfusus, eo plano, quo se ambo liquores tangunt, color rosaceus sive fuscus ne oriatur. Spiritus ad siccum evaporatus, residuum ne relinquat, solutione argenti nitrici addita ne mutetur sive turbetur; aqua hydrosulfurata sive ammonia ne coloretur.

Contineat in centum partibus ponderis 87·2—85·6, voluminis 91·2—90 partes alcoholis.

Spiritus Vini dilutus.

Rpe: **Spiritus Vini concentrati** *grammata mille* 1000
Aquae destillatae *grammata quadringenta viginti octo et dimidium* 428·5
Misce. Pondus specificum sit 0·894—0·896.

Continet in centum partibus ponderis 61·0—59·9, voluminis 70—67·5 partes alcoholis.

Spiritus Vini Cognac.

E vino destillatione paratus sit limpidus, coloris flavi aut e flavo fusci, odoris et saporis suavis, spirituosi, neuter, ponderis specifici 0·925—0·920.

Sit ab alcohole amylico plane liber et contineat in centum ponderis partibus quadraginta quinque usque quinquaginta ponderis partes alcoholis.

Vinum Chinae.

Stibium Kalio-tartaricum.

Kalium stibio-tartaricum. Tartarus emeticus.
Tartarus stibiatus.

Crystalli tetraëdricae, albae, aëre fatiscentes, sive pulvis albissimus, saporis primum dulcis, dein irritantis, metallici, in aqua, imprimis fervida facile solubilis.

Solutio aquosa, reactionis leviter acidae, aqua calcis sedimentum praebet album, in acido acetico facile solubile, acido hydrochlorico acidulata aqua hydrosulfurata praecipitatum aurantiacum, ammonio carbonico insolubile demittit.

Stibii Kalio-tartarici gramma dimidium in grammis decem acidi hydrochlorici concentrati solutum, additis guttis aliquot aquae hydrosulfuratae recenter paratae, vase tecto loco tepido sepositum, nec praecipitatum luteum arsenici sulfurati deponat, nec hujus vestigiis colore flavo inficiatur.

Vinum Stibii Kalio-tartarici.

Stibium sulfuratum aurantiacum.

Sulfur auratum antimonii.

Rpc. **Natrii carbonici crystallisati** *grammata mille nongenta* 1900

in lebetem ferreum immissa solve in

Aquae fervidae *grammatum octo millibus et quadringentis.* 8400

Tum adde pultem paratam ex

Calcii oxydati *grammis quadringentis et viginti* 420

Aquae *grammatum duobus millibus et quingentis.* 2500

Ad ebullitionem evectis admisce

Sulfuris pulverati *grammata ducenta et decem* 210

Stibii sulfurati nigri subtilissime pulverati *grammata sexcenta et triginta.* 630

Coque, aquam evaporatione amissam restituendo, donec color griseus miscellae disparuerit.

Lebes tectus seponatur, ut sedimentum fundum petat, tum liquor limpidus abstrahatur et evaporando in crystallos redigatur, quae cum pauxillo natrii hydrooxydati soluti laventur.

Crystallorum *grammata trecenta quinquaginta* 350

solvantur in

Aquae destillatae *grammatum duobus millibus* 2000

et misceantur cum

Acidi sulfurici concentrati puri *grammis centum et quinque* 105

dilutis cum

Aquae destillatae *grammatum quatuor millibus et trecentis.* 4300

Praecipitatum aurantiacum, inde ortum, subsidendo et abluendo bene edulcoratum, leni calore siccatum, in vitro bene clauso luci impervio serva.

Sit pulvis subtilissimus, rubro-aurantiacus, valde depingens, odoris expers, insipidus, in acido hydrochlorico sulfure derelicto, in natrio hydrooxydato soluto ex toto solubilis.

Cum solutione acidi tartarici diluta conquassatum, liquorem praebeat, qui filtratus, addita aqua hydrosulfurata, nullum vel nonnisi perexiguum praecipitatum, coloris aurantiaci deponit.

Stibium sulfuratum aurantiacum ammonio sulfurato solutum et ex hac solutione, acido hydrochlorico abundante addito, iterum praecipitatum, tum aqua lotum et cum decupla quantitate ammonii carbonici soluti conquassatum, filtratum praebeat, quod acido hydrochlorico caute acidulatum, nec sedimentum luteum arsenici sulfurati deponit, nec addita aqua hydrosulfurata hujus vestigia flavo colore indicat, quem liquor assumpserit.

Stibium sulfuratum nigrum.

Antimonium crudum.

Frusta ponderosa, e nigro grisea, ex crystallis acicularibus, metallice splendentibus, friabilibus composita, in aëre immutabilia, leni igne liquescentia, acido hydrochlorico affuso gas hydrosulfuratum emittunt.

Gutta solutionis acidae in lamina platinea stillata, adjecto granulo zinci metallici hanc macula nigra antimonio reducto efformata obducit.

Strychninum nitricum.

Crystalli graciles, albae, sericeo splendentes, saporis amarissimi, in aqua et spiritu vini bullienti facile, difficilius in aqua et spiritu vini frigido, nec non in glycerino solubiles. Solutio aquosa chartam exploratoriam non mutat, addito kalio hydrooxydato soluto praecipitatum album, superabundante reagente insolubile, deponit. Crystallus Strychnini nitrici, in acidum hydrochloricum ebulliens immersa, huic colorem rubrum tribuit; cum acido sulfurico concentrato solutionem decolorem praebet; cum acido nitrico contrita colorem subflavum, ne vero rubrum exhibeat.

Solutio aquosa concentrata, addito kalio chromico soluto, praecipitatum demittit rubro flavum crystallinum, quod acido sulfurico concentrato humectatum, colorem caeruleum ad violaceum ducit.

Ignitum deflagret, nihil residui relinquens.

Styrax liquidus.

Liquidambar orientalis Miller, arbor Asiae minoris. *Hamamelideae.*

Balsamum, e cortice praeparatum, sistit massam tenaci-liquidam, glutinosam, in aqua demergentem et cum pauxillo aquae permixtam, turbidam, coloris e griseo fuscescentis, odoris peculiaris, fragrantis, saporis aromatici, subamaricantis.

Cum aequali pondere spiritus vini concentrati solutionem praebeat, quae filtrata et evaporata massam fuscoflavescentem, pellucidam, in aethere limpide solubilem relinquat.

Antequam adhibeatur, in pondere suo dimidio benzoli solutus, filtrando et evaporando depurandus est.

Succus Liquiritiae.

Extractum e radice Liquiritiae scissa coquendo cum aqua, exprimendo et evaporando paratum, occurrit in bacillis cylindricis, circiter quindecim centimetra longis, unum et dimidium ad duo centimetra crassis, superficie laevibus, nigris, duris, sed calore mollescentibus, fractura late conchatis, nitentibus, in fragmentis tenuibus semi-pellucidis, fuscis, odoris peculiaris, saporis suaviter perdulcis.

Partes centum mercis, aqua calorem 50° non superante exhaustae, ne relinquant plus quam viginti quinque partes. Ne sit inquinata farina cerealium, amylo aut dextrino, exploratione microscopica facile dignoscendis.

Ad usum pharmacenticum **Succus Liquiritiae depuratus,** e venali solvendo in aqua frigida, filtrando et evaporando praeparatus, adhibeatur.

Pasta Liquiritiae flava.

Sulfur depuratum.

Flores sulfuris loti.

Rpe: **Sulfuris sublimati** *grammata centum* 100
contere cum
Aquae destillatae *grammis septuaginta* 70
Ammoniae *grammis decem.* 10

Miscella saepius agitando stet per diem, tum sedimentum a liquore separatum, prorsus elutum et siccatum per cribrum trajiciatur.

Sit pulvis subtilis, citrinus, siccissimus, qui cum ammonia quassatus, filtrando liquorem praebeat decolorem, post evaporationem nihil residui relinquentem; humectatus aqua chartam exploratoriam caeruleam ne in rubram mutet.

Fervefactus deflagret residuo perexiguo relicto.

Pulvis Liquiritiae compositus.

Sulfur praecipitatum.

Lac sulfuris.

Rpe: **Calcii oxydati recenter usti** *grammata ducenta.* 200

In lebete ferreo cum

Aquae *grammis mille ducentis* 1200

in pultem redactis admisce

Sulfuris sublimati *grammata quingenta* 500

Aquae *grammatum quinque millia.* 5000

Mixta sub continua agitatione coquantur per horam, aquam evaporatam subinde restituendo.

Dein liquorem defunde in lagenam, post refrigerationem bene clausam et residuum denuo coque cum

Aquae *grammatum tribus millibus* 3000

per semihoram.

Hunc quoque liquorem in lagenam infunde, e qua sedimento deposito, siphonis ope liquorem limpidum abstrahe in vas satis capax, et admisce sub continua agitatione miscellam ex

Acidi hydrochlorici concentrati puri

q. s. (circiter grammata septingenta)

cum

Aquae *tripla quantitate*

paratam, habita cura, ut liquor debilem adhuc reactionem alcalinam conservet.

Praecipitatum inde natum sine mora a liquore supernatante separa, aqua destillata elue, donec liquor defluens nec ammonio oxalico, nec argento nitrico turbetur; demum in loco tepido sicca et in pulverem subtilissimum redactum serva.

Sit pulvis subtilissimus, amorphus, albidus, reactionis neutrius, ignitus penitus deflagret.

Sulfur praecipitatum cum ammoniae partibus viginti conquassatum filtratum praebeat, quod acido hydrochlorico acidulatum, vel aqua hydrosulfurata addita, colorem flavum ne induat.

Sulfur sublimatum.

Flores sulfuris.

Pulvis citrinus, in aqua insolubilis, parum solvitur in spiritu vini concentrato, aethere, chloroformio et oleis pinquibus, facile in carboneo sulfurato. Cum aqua quassatus huic plerumque reactionem acidam tribuit.

Aëre fervefactus inflammat, odorem acidi sulfurosi spargens; combustus residuum nonnisi exiguum relinquat.

Sulfur depuratum. Unguentum sulfuratum.

Syrupi.

Syrupi in genere ita parentur, ut saccharum contusum, in liquido, pro syrupo efficiendo praescripto, pro-

portione partium centum liquidi ad partes centum et sexaginta sacchari sive unica ebullitione, sive diutius coquendo, solvatur et si liquor turbidus esset, albumine ovi clarificetur.

Syrupi tum colentur per pannum laneum et penitus refrigerati, vasis clausis loco frigido et sicco serventur.

Substantiae volatiles aromaticae syrupo refrigerato admisceantur.

Syrupi, excepto Syrupo amygdalino sint limpidi.

Syrupus Althaeae.

Rpe: **Radicis Althaeae concisae** *grammata viginti* 20
Aquae destillatae frigidae *grammata trecenta.* 300

Macera per bihorium saepius agitando, tum cola sine expressione et in colatura

grammatum ducentorum et quinquaginta 250

solve unica ebullitione

Sacchari contusi *grammata quadringenta.* 400

Syrupus amygdalinus.

Syrupus emulsivus.

Rpe: **Amygdalarum dulcium decorticatarum**
grammata octoginta 80
Amygdalarum amararum decorticatarum
grammata viginti. 20

In mortarium immissa cum

Sacchari pulverati *grammis centum et viginti* 120

contunde in pultem aequabilem, tum sensim inter assiduam triturationem admisce

Aquae destillatae *grammata ducenta* 200

ut fiat emulsio.

Colaturae per pannum laneum expressae adde

Sacchari pulverati *grammata ducenta.* 200

Sub continua agitatione fiat Syrupus.

Syrupus Aurantii corticis.

Rpe: **Corticis Fructus Aurantii concisi**

Spiritus Vini diluti *āā grammata triginta* 30

Aquae destillatae *grammata trecenta.* 300

Digere per nycthemerum in vase clauso.

Colatura expressa *grammatum ducentorum et quinquaginta* 250

cum

Sacchari contusi *grammis quadringentis* 400

unica ebullitione coquatur in Syrupum, cui colato et refrigerato admisce

Tincturae Aurantii corticis *grammata triginta.* 30

Syrupus Capilli Veneris.

Rpe: **Herbae Capilli Veneris concisae**

grammata decem 10

Aquae destillatae fervidae

grammata centum et viginti 120

infunde per horam.

Colaturam *grammatum centum* 100
coque cum
Sacchari contusi *grammis centum et sexaginta* 160
clarificando in Syrupum, cui colato admisce
Aquae Aurantii florum *grammata duo.* 2

Syrupus Cinnamomi.

Rpe: **Corticis Cinnamomi ruditer tusi**
grammata viginti quinque 25
Aquae Cinnamomi spirituosae
grammata centum et viginti quinque 125
digere in vase clauso per viginti quatuor horas et in
Colatura expressa *grammatum centum* 100
solve
Sacchari contusi *grammata centum et sexaginta.* 160
Unica ebullitione coque in Syrupum et cola.

Syrupus Citri.

Rpe: **Succi Fructus Citri recentis expressi, sedimentatione et filtratione depurati** *grammata centum* 100
Sacchari contusi *grammata centum et sexaginta.* 160
Unica ebullitione coque in Syrupum et colatum serva.

Syrupus Ferri jodati.

Rpe: **Ferri pulverati** *grammata quatuor* 4
Aquae destillatae *grammata octoginta septem* 87

inmitte in lagenam et sensim adde

Jodi *grammata decem* 10

Interdum agitando, donec reactio cessat et solutio colorem nonnisi dilute viridem exhibet, tum filtra, filtrum antea aqua humectatum ne eluas.

Liquorem defluentum excipe in vitro, quod continet

Sacchari pulverati

grammata centum quadraginta unum. 141

Vase tecto solutionem sacchari adjuves agitando et fervefaciendo.

Syrupus continet in centum partibus partes circiter quinque Ferri jodati.

Syrupus Ipecacuanhae.

Rpe: **Radicis Ipecacuanhae pulveratae**

gramma unum. 1

Macera per biduum, saepius conquassando cum

Spiritus Vini diluti *grammis quinque* 5

et

Aquae destillatae *grammis quadraginta.* 40

Colaturam filtratam

grammatum quadraginta duorum 42

additis

Sacchari pulverati *grammis sexaginta* 60

unica ebullitione coque in Syrupum et cola.

Syrupus Menthae.

Rpe: **Foliorum Menthae piperitae concisorum**

grammata viginti 20

cum

Spiritus Vini concentrati *grammis decem* 10

humectata

Aquae destillatae *grammis centum* 100

macera per viginti quatuor horas. Tum

Colaturam *grammatum octoginta* 80

cum

Sacchari contusi *grammis centum et viginti* 120

coque in Syrupum. Cola.

Syrupus Mororum.

Rpe: **Fructuum Mori nigrae maturorum**

grammatum tria millia. 3000

In pultem redactis adde

Sacchari contusi *grammata ducenta.* 200

Stent, donec fermentatio vinosa peracta sit, deinde cola et exprime per sacculum linteum et

Succi subsidendo depurati et filtrati

grammata centena 100

coque cum

Sacchari contusi *grammis centum et sexaginta* 160

unica ebullitione in Syrupum et cola.

Syrupus Papaveris.

Syrupus Diacodii.

Rpe: **Fructus Papaveris contusi**

grammata viginti 20

cum

Spiritus Vini diluti *grammis decem* 10

humectata, digere cum

Aquae destillatae *grammis centum* 100

in balneo aquae per horam.

In colatura *grammatum septuaginta* 70

solve

Sacchari contusi *grammata centum et triginta.* 130

Clarificando coque in Syrupum et cola.

Syrupus Rhei.

Rpe: **Radicis Rhei contusae**

grammata viginti quinque 25

Kalii carbonici puri *gramma dimidium* 0·5

Aquae destillatae fervidae *grammata trecenta.* 300

Stent in infusione per horam.

Colaturae fortiter expressae

grammatum ducentorum et quinquaginta 250

adde

Sacchari contusi *grammata quadringenta.* 400

Clarificando coque in Syrupum et cola.

Syrupus Ribium.

Paretur e fructibus *Ribis rubri* recentibus in pultem redactis ut Syrupus Mororum.

Syrupus Rubi Idaei.

Paretur e fructibus *Rubi Idaei* maturis in pultem redactis ut Syrupus Mororum.

Syrupus Senegae.

Rpe: **Radicis Senegae grosse pulveratae**
grammata quinque 5
Spiritus Vini diluti *grammata decem* 10
Aquae destillatae *grammata quadraginta.* 40
Macera per biduum.
Colaturam expressam et filtratam
grammatum quadraginta 40
cum
Sacchari contusi *grammis sexaginta* 60
unica ebullitione coque in Syrupum. Cola.

Syrupus Sennae cum Manna.

Syrupus man. atus.

Rpe: **Foliorum Sennae concisorum**
grammata triginta quinque 35
Fructus Anisi stellati contusi *grammata duo* 2
Aquae destillatae fervidae
grammata trecenta et quinquaginta. 350
Infunde per bihorium et in liquore expresso et colato
grammatum ducentorum et quinquaginta 250
solve
Sacchari contusi *grammata quadringenta* 400
et
Mannae *grammata centum.* 100
Clarificando coque in Syrupum. Colatum serva.
Hydromel infantum.

Syrupus simplex.

Rpe: **Sacchari contusi** *grammata quadringenta* 400
Aquae destillatae
grammata ducenta et quinquaginta. 250
Clarificando coque in Syrupum. Colatum serva.
Emulsio oleosa.

Talcum.

Talcum Venetum.

Pulvis crystallinus albus. tactu unguinosus, ponderis specifici 2, 7, in tubulo vitreo candefactus non mutabilis.

Terebinthina.

Terebinthina communis.

Pinus Laricio Poiret, *Pinus silvestris* Linn., et aliae *Pini* species, arbores in Europa et Âmerica boreali indigenae. *Coniferae. Abietineae.*

Balsamum naturale. e truncis vulneratis effluens, spissum, granulosum, turbidum. tenax, lentum, albidum vel ochroleucum, sub microscopio crystallos cotiformes exhibens. odoris proprii. haud grati, penetrantis. saporis amariusculi, irritantis.

Per aliquot tempus sepositum, stratum limpidum et diaphanum, coloris succini in superficie praebet.

Terebinthina Veneta.

Terebinthina laricina.

Pinus Larix Linn., arbor indigena notissima. *Coniferae. Abietineae.*

Balsamum naturale, e trunco vulnerato effluens, spissiusculum, tenax, plerumque limpidum, diaphanum, aequabile, coloris subflavi aut subviridi-flavi, odoris balsamici, haud ingrati, saporis acri-aromatici, subamari.

In balneo aquae calefactum, amisso oleo aethereo, resinam relinquit limpidam, post refrigerationem solidam, fragilem. In spiritu vini concentrato ex toto solvitur, solutionem praebens limpidam.

Emplastrum adhaesivum. Emplastrum Cantharidum. Emplastrum Cantharidum perpetuum. Emplastrum Conii. Emplastrum Diachylon compositum. Emplastrum Meliloti. Emplastrum oxycroceum.

Thymolum.

Crystalli tabulaeformes, decolores, oleum Thymi redolentes, saporis aromatici urentis, calore circiter 50 ° liquescunt, in aqua vix, in spiritu vini, aethere, chloroformio et natrio hydrooxydato soluto facile solvuntur. Crystallus in aquam injectus imum petit, liquefacta aquae supernatat.

Thymolum sub temperatura ordinaria in quadruplo pondere acidi sulfurici concentrati solvitur, liquor coloris subflavi calefaciendo colorem roseum induit. Haec solutio, in decuplam quantitatem aquae infusa et plumbo carbonico supersaturata et filtrata, addito pauxillo ferri sesquichlorati colorem e violaceo caeruleum induit.

Thymolum, calori balnei aquae vase apperto expositum, plane avolet, solutio ejus aquosa sit reactionis neutrius et ferro sesquichlorato addito ne coloretur.

Tincturae.

In conficiendis Tincturis in genere substantiae comminutae per tres ad sex dies in lagena tecta cum spiritu vini ea proportione, ut pars una substantiae minoris efficaciae partes quinque tincturae praebeat, sub calore 40° non excedente digerantur, liquor colando, et si opus fuerit, exprimendo a residuo separetur, et postquam subsederit filtretur.

Tincturae ex medicaminibus efficacioribus conficiantur in apparatu depulsorio, in quo substantiae antea humectatae ingeruntur et cum sufficienti quantitate menstrui superfusae per quadraginta octo horas macerentur. Liquore dein detracto addatur residuo iteratis vicibus nova menstrui quantitas, donec pro una parte substantiae denae partes tincturae defluxerint.

Tincturae serventur in lagenis optime clausis, loco obscuro et frigido. Nonnisi limpidae dispensentur.

Tinctura Absinthii composita.

Rpe:	**Herbae Absinthii**	*grammata quinquaginta*	50
	Corticis Fructus Aurantii	*grammata viginti*	20
	Radicis Calami aromatici		
	„ **Gentianae**	*āā grammata decem*	10
	Corticis Cinnamomi	*grammata quinque.*	5

Concisis et contusis affunde

Spiritus Vini diluti *grammata quingenta.* 500

Digere saepius conquassando per dies sex, tum cola, exprime et filtra.

Tinctura Aconiti radicis.

Rpe: **Radicis Aconiti pulveratae**

grammata decem 10

Spiritus Vini diluti *grammata centum et viginti.* 120

Humecta pulverem cum pauxillo spiritus vini diluti, quin conglobetur et sepone per horam. Tum massam ingere in apparatum depulsorium, addendo spiritus vini diluti sufficientem quantitatem, ut massa spiritu obtecta sit et macera per quadraginta octo horas. Hoc tempore elapso fac liquorem stillare et separatis vicibus reliquam spiritus vini diluti quantitatem superaffunde.

Pondus

Tincturae obtentae sit *grammatum centum.* 100

Tinctura amara.

Tinctura stomachica.

Rpe: **Foliorum Trifolii fibrini**

Herbae Centaurii minoris

Radicis Gentianae

Corticis Fructus Aurantii *āā grammata decem* 10

Natrii carbonici crytallisati *grammata quinque* 5

Aquae Cinnamomi spirituosae

grammata quingenta. 500

Concisa et contusa digere per triduum, cola, exprime et filtra.

Tinctura Arnicae.

Rpe: **Radicis Arnicae** *grammata octoginta* 80
Florum Arnicae *grammata viginti* 20
Concisis et contusis affunde
Spiritus Vini diluti *grammata quingenta.* 500
Digere per tres dies, cola, exprime et filtra.

Tinctura Aurantii corticis.

Rpe: **Corticis Fructus Aurantii concisi**
grammata viginti 20
Spiritus Vini diluti *grammata centum.* 100
Digere per triduum, saepius agitando, tum cola, exprime et filtra.

Syrupus Aurantii corticis.

Tinctura Belladonnae foliorum.

Paretur e Foliis Belladonnae pulveratis ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Benzoës.

Rpe: **Benzoës contusae** *grammata quinquaginta* 50
Spiritus Vini concentrati
grammata ducenta et quinquaginta. 250
Digere ad perfectam resinae solutionem, deinde filtra.

Emplastrum Anglicanum.

Tinctura Calami aromatici.

Tinctura Acori.

Paretur e Radice Calami aromatici concisa ut Tinctura Aurantii.

Tinctura Cantharidum.

Paretur e Cantharidibus pulveratis cum spiritu vini concentrato ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Cascarillae.

Paretur e Cortice Cascarillae grosse tuso ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Castorei.

Paretur e Castoreo minutim conciso et contuso ut Tinctura Aurantii.

Tinctura Catechu.

Paretur e Catechu ruditer tuso cum spiritu vini diluto ut Tinctura Benzoës.

Tinctura Chamomillae.

Paretur e Floribus Chamomillae vulgaris concisis ut Tinctura Aurantii.

Tinctura Chinae composita.

Rpe: **Corticis Chinae grosse pulverati**
grammata sexaginta 60
Radicis Gentianae concisae
Corticis Fructus Aurantii concisi
āā grammata viginti 20
Spiritus Vini diluti *grammata trecenta et sexaginta* 360
Aquae Cinnamomi simplicis *grammata centum et viginti.* 120

Digere per sex dies, tum cola, exprime et filtra.

Tinctura Cinnamomi.

Paretur e Cortice Cinnamomi grosse tuso ut Tinctura Aurantii.

Tinctura Colchici seminis.

Paretur e Semine Colchici pulverato ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Digitalis.

Paretur e Foliis Digitalis pulveratis ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Gallarum.

Paretur e Gallis grosse pulveratis ut Tinctura Aurantii.

Tinctura Guajaci.

Paretur e Resina Guajaci contusa ut Tinctura Benzoës.

Tinctura Ipecacuanhae.

Paretur e Radice Ipecacuanhae ruditer pulverata ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Jodi.

Rpe: **Jodi** *grammata decem* 10
Spiritus Vini concentrati *grammata centum et quinquaginta* 150

Solve terendo in mortario vitreo. Liquorem limpidum defusum serva in lagena vitrea bene clausa.

Tinctura Lobeliae.

Paretur ex Herba Lobeliae pulverata ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Malatis Ferri.

Tinctura Ferri pomati.

Rpe: **Extracti Malatis Ferri** *grammata viginti* 20
Aquae Cinnamomi spirituosae *grammata centum.* 100

Solve et filtra.

Tinctura Myrrhae.

Paretur e Myrrha grosse tusa ut Tinctura Benzoës

Tinctura Opii crocata.

Rpe: **Croci** *grammata duo* 2

Aquae Cinnamomi spirituosae

grammata centum sexaginta quinque 165

Spiritus Vini concentrati *grammata quindecim* 15

Macera ad perfectam Croci extractionem, dein cum expressione cola.

Cum liquoris sic obtenti s. q. consperge

Opii siccati grosse pulverati

grammata quindecim, 15

quin conglobent. Stent per horam, tum ingere in apparatum depulsorium et affunde massam cum miscellae supra dictae s. q., ut liquore sit obtecta. Macera per quadraginta octo horas. His exactis liquorem stillare sinas. Residuo per vices affunde reliquam miscellae spirituosae quantitatem. donec pondus liquoris collecti sit *grammatum centum quinquaginta.* 150

Sepone per quadraginta octo horas, tum filtra.

Tinctura Opii crocata in centum partibus solubilia decem grammatum Opii circiter continet, quod fere grammati uni Morphini respondet.

Grammata quadraginta tincturae. cum grammis decem aetheris et duobus ammoniae in vase apto et bene clauso fortiter quassando mixta et per diem calore 10—15° seposita, crystallos deponant, quae in parvo filtro collectae et mixtura e spiritus vini diluti, aetheris et aquae destillatae ana grammis binis bis elotae et calore 100° siccatae, pondus exhibeant minimum 0·38.

Tinctura Opii simplex.

Rpe: **Spiritus Vini concentrati**

grammata nonaginta 90

misce cum

Aquae destillatae

grammis centum et quinquaginta. 150

Cum hujus miscellae s. q. consperge

Opii siccati grosse pulverati *grammata viginti,* 20

quin conglobent. Horae circiter spatio elapso ingere Opii pulverem in apparatum depulsorium et superfunde sufficientem quantitatem miscellae spirituosae, ut penitus obtegatur. Macera per quadraginta octo horas. Quibus exactis liquorem stillare sinas. Residuo per vices affunde miscellam spirituosam residuam, donec pondus totius liquoris collecti sit *grammatum ducentorum.* 200

Tinctura Opii simplex in centum partibus solubilia decem grammatum Opii circiter continet, quod grammati uni Morphini respondet.

Grammata quadraginta tincturae eadem ratione, quae de Tinctura Opii crocata praescripta est, examinata pondus Morphini non minus quam 0·38 exhibeant.

Tinctura Ratanhiae.

Paretur e Radice Ratanhiae pulverata ut Tinctura Aurantii.

Tinctura Rhei aquosa.

Rpe: **Radicis Rhei concisae** *grammata decem* 10

Natrii carbonici crystallisati *grammata tria* 3

Aquae destillatae fervidae
grammata centum et quinquaginta. 150

Infunde per quadrantem horae, deinde cola, exprime et liquorem refrigeratum filtra.

Tinctura Rhei vinosa Darelli.

Rpe: **Radicis Rhei contusae** *grammata viginti* 20
Corticis Fructus Aurantii concisi
grammata quinque 5
Seminis Cardamomi contusi *grammata duo* 2
Vini Malagensis *grammata ducenta.* 200

Digere per triduum, cola, exprime et in liquore solve
Sacchari pulverati *grammata triginta.* 30

Solutione peracta filtra.

Tinctura Spilanthis composita.

Rpe: **Herbae Spilanthis concisae**
grammata viginti quinque 25
Radicis Pyrethri grosse tusae
grammata viginti 20
Spiritus Vini concentrati
grammata centum et viginti. 120

Digere per triduum, cola, exprime et filtra.

Tinctura Strophanthi.

Rpe: **Seminis Strophanthi grosse pulverati**
grammata quinque 5

cum
Aetheris *s. q.*

ab oleo pingui libera. Tum e remanenti

Semine Strophanthi
cum
Spiritus Vini concentrati *s. q.*
in apparatu depulsorio paretur
Tinctura ponderis *grammatum centum* 100
ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Strychni.

Tinctura Nucis vomicae.

Paretur e Semine Strychni pulverato ut Tinctura Aconiti.

Tinctura Valerianae.

Paretur e Radice Valerianae pulverata ut Tinctura Aurantii.

Tinctura Vanillae.

Rpe: **Fructus Vanillae minutim concisi** *grammata decem.* 10
Conquassa cum
Spiritus Vini concentrati *grammis centum.* 100
Digere per octiduum, saepius agitando, tum cola, residuum fortiter exprime et filtra.

Trochisci.

Trochisci in genere sequenti modo parentur: Substantia praescripta cum sufficiente sacchari pulverati quantitate intime commisceatur, ut singulorum trochiscorum inde effectorum pondus sit grammatis unius. Tum

cum spiritus vini diluti sufficiente quantitate in pulverem humidum redigatur, qui compressus massam sat cohaerentem praebeat, e qua formetur numerus praescriptus trochiscorum.

Trochisci Ipecacuanhae.

Rpe: **Radicis Ipecacuanhae pulveratae** *gramma unum* 1
Sacchari pulverati *grammata quinquaginta* 50
Spiritus Vini diluti *q. s.*
ut fiat massa, e qua formentur
Trochisci *centum.*

Trochisci Santonini.

Rpe: **Santonini pulverati** *grammata duo et dimidium* 2·5
Sacchari pulverati *grammata centum* 100
Spiritus Vini diluti *q. s.*
ut fiat massa, e qua formentur Trochisci *centum.*

Unguenta.

Unguenta in genere ita parentur, ut substantiae difficilius liquescentes separatim aut cum parva facilius liquescentis substantiae quantitate commixtae, calefiant et tum demum massae liquefactae facilius liquescentes substantiae admisceantur, cavendo, ne calor, plus quam necesse est augeatur.

Mixta adhuc calida dein per pannum linteum colentur et usque ad perfectam refrigerationem assidue agitentur.

Substantiae volatiles, ut olea aetherea, Camphora, unguento semirefrigerato admisceantur.

Pulveres, unguentis admiscendi, nonnisi subtilissimi adhibeantur et antequam cum exigua olei vel unguenti liquefacti quantitate triturentur.

Ne sint unguenta negligenter mixta neve odoris rancidi.

Unguentum aromaticum.

Rpe: **Herbae Absinthii concisae** *grammata centum et viginti quinque* 125

Spiritus Vini diluti *grammata ducenta et quinquaginta* 250

in pultem contusa digere per sex horas, dein calefiant cum

Axungiae Porci *grammis mille* 1000

ad humidi consumtionem et cola.

In Colatura liquescant

Cerae flavae *grammata ducenta et quinquaginta* 250

Olei Lauri *grammata centum et viginti quinque.* 125

Colatis et refrigeratis adde

Olei Juniperi

„ **Menthae piperitae**

„ **Rosmarini**

„ **Lavandulae** *āā grammata decem.* 10

Misce in Unguentum.

Unguentum Cerussae.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata ducenta* 200

Emplastri Diachylon simplicis *grammata quadraginta.* 40

Colliquefactis et refrigeratis admisce sub continua agitatione

Plumbi carbonici subtiliter pulverati
grammata centum et viginti 120

ut fiat Unguentum.

Unguentum Diachylon.

Unguentum Diachylon Dr. Hebra.

Rpe: **Emplastri Diachylon simplicis recenter parati**
grammata centum. 100

Emplastro adhuc liquido admisce

Olei Olivae *q. s.* (circiter grammata septuaginta)

ut fiat Unguentum molle, cui adde

Olei Lavandulae *grammata quatuor.* 4

Unguentum emolliens.

Crême céleste.

Rpe: **Cerae albae** *grammata decem* 10

Cetacei *grammata viginti* 20

Olei Amygdalarum *grammata octoginta.* 80

Liquefactis, colatis et semirefrigeratis adde, assidue terendo

Aquae Rosae *grammata viginti.* 20

Fiat Unguentum molle.

Unguentum Glycerini.

Rpe: **Amyli Tritici** *grammata quatuor* 4
succesive addendo
Glycerini *grammata sexaginta* 60
misce et in patina porcellanea sub continua agitatione leniter calefaciendo in massam gelatinosam diaphanam redige.

Unguentum Hydrargyri.

Rpe: **Hydrargyri**
Lanolini *āā grammata ducenta.* 200
Assidue triturando Hydrargyrum extingue, ut globuli metallici non amplius appareant, dein sensim et intime admisce
Unguenti simplicis *grammata ducenta,* 200
ut fiat Unguentum.

Unguentum Juniperi.

Rpe: **Herbae Absinthii concisae** *grammata sexaginta* 60
Spiritus Vini diluti *grammata centum et viginti* 120
in pultem contusa digere per sex horas, dein calefiant cum
Axungiae Porci *grammis quingentis* 500

ad humidi consumptionem et cola.

In Colatura liquescant

Cerae flavae *grammata centum.* 100

Liquefacta colentur et unguento refrigerato admisce

Olei Juniperi *grammata quinquaginta.* 50

Unguentum Plumbi acetici.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata trecenta* 300

Cerae albae *grammata centum.* 100

Colliquefactis, colatis et semirefrigeratis adde sensim sub continua agitatione

Plumbi acetici *grammata sex* 6

soluta in

Aquae destillatae *grammis viginti.* 20

Misce in Unguentum.

Unguentum rosatum.

Unguentum pomadinum.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata trecenta* 300

Cerae albae *grammata septuaginta quinque.* 75

Colliquefactis, colatis et semirefrigeratis adde

Olei Bergamottae *gramma unum et dimidium* 1·5

Olei Rosae *gramma dimidium.* 0·5

Fiat Unguentum.

Unguentum Sabadillae.

Rpe: **Unguenti simplicis leni igne liquefacti**
grammata ducenta 200
assidue terendo sensim misce cum
Seminis Sabadillae in pulvere *grammis quinquaginta.* 50
Sub finem adde
Olei Lavandulae *grammata duo.* 2
Fiat Unguentum.

Unguentum simplex.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata ducenta* 200
Cerae albae *grammata quinquaginta* 50
colliquefacta et colata sub continua agitatione refrigescant in Unguentum.

Unguentum Hydrargyri. Unguentum Sabadillae.

Unguentum sulfuratum.

Rpe: **Saponis kalini**
Axungiae Porci *āā grammata sexaginta* 60
leni calore liquatis et colatis sensim admisce, per cribrum trajiciendo
Sulfuris sublimati *grammata triginta* 30
Calcii carbonici nativi pulverati *grammata viginti* 20
antea intime mixta.
Sub finem adde
Picis liquidae *grammata triginta.* 30
Fiat Unguentum.

Unguentum Zinci oxydati.

Unguentum Zinci Wilsonii.

Rpe: **Axungiae Porci benzoatae** *grammata centum* 100
Cerae albae *grammata viginti.* 20

Leni calore colliquefactis, colatis et semirefrigeratis admisce

Zinci oxydati *grammata viginti* 20

antea terendo cum

Olei Amygdalarum *grammis decem.* 10

Fiat Unguentum.

Vaselinum.

Massa unguinosa flava, translucida, odoris expers, reactionis neutrius, calore 35 ° circiter liquescit, in aqua insolubilis, difficillime in spiritu vini, facile in aethere et chloroformio solvitur.

Ignitum comburrat, vestigia nonnisi cineris relinquens. Natrio hydrooxydato ne mutetur.

Veratrinum.

Pulvis albus, saporis admodum acris, inodorus quidem, sed sternutationem vehementem excitans, reactionis alcalinae, calore ad massam resinae similem liquescit, solvitur facile in spiritu vini et in chloroformio, difficilius in aethere, vix in aqua. Cum acido hydrochlorico diluto solutionem saporis amari et acris praebet.

Acido sulfurico concentrato humectatum, colorem induit initio flavum, post sanguineum, demum violaceum. Acido hydrochlorico ebulliente solutionem rubram reddit.

Ignitum nihil fere residui relinquat.

Vinum Chinae.

Rpe: **Corticis Chinae contusi**
Spiritus Vini Cognac
āā grammata viginti quinque 25
Vini Malagensis *grammata quingenta* 500
macera per octo dies, saepius conquassando, tum cola, exprime et filtra.

Sit limpidum, coloris fusci.

Vinum Colchici seminis.

Rpe: **Seminis Colchici optime contusi** *grammata quinque* 5
Vini Malagensis *grammata quinquaginta* 50
digere per sex dies, saepius agitando, tum cola, exprime et filtra.

Vinum Stibii Kalio-tartarici.

Vinum emeticum.

Rpe: **Stibii Kalio-tartarici subtilissime pulverati**
decigramma unum 0·10
Vini Malagensis *grammata viginti et quinque* 25
solve et serva in vase bene clauso.

Zincum chloratum.

Massa crystallina, alba, aëre humido diffluens, in aqua et spiritu vini facile et ex integro solubilis. Solutio aquosa, reactionis acidae, addito ammonio sulfurato praecipitatum album demittit; argentum nitricum nec non ammonia itidem praecipitata alba efficiunt, quorum utrumque in ammonia abundante perfecte solvitur. Solutio aquosa, addito acido hydrochlorico, nec aqua hydrosulfurata, nec kalio-ferricyanato coloretur, nec baryo nitrico turbetur, eadem ammonia abundante limpida maneat et hydrogenio sulfurato, in excessu addito, sedimento mere albo deposito, filtratione liquorem praebeat, qui ad siccum evaporatus et ignitus residuum nullum relinquit.

Zincum oxydatum.

Flores zinci.

Rpe: **Natrii carbonici crystallisati** *grammata trecenta et viginti* 320

solve in

Aquae destillatae *grammis mille octingentis.* 1800

Liquori filtrato et ad ebullitionem calefacto instilla solutionem ex

Zinci sulfurici *grammis trecentis* 300

Aquae destillatae *grammis nongentis* 900

paratam.

Instillatione peracta liquor adhuc ebulliat, donec praecipitatum initio gelatinosum in pulverulentum, facile fundum petens, mutatum fuerit.

Liquore supernatante defuso, praecipitatum iteratis vicibus aqua fervida edulcoretur, usque dum liquor filtratus baryo nitrico non amplius turbetur, tum perfecte siccetur.

Massam siccatam immitte in crucibulum, quod bene tectum, ad incandescentiam calefiat, quamdiu pars e medio massae exempta, acido affuso effervescit.

Oxydum ignitum in pulverem redactum in vase bene clauso serva.

Sit pulvis albus, subtilis, durante ignitione flavus, in acidis sine effervescentia solubilis. Solutio, ope acidi acetici effecta, aqua hydrosulfurata praecipitatum pure album demittat, ammonia abunde adjecta limpida maneat, ammonio oxalico aut natrio phosphorico ne turbetur.

Pulvis Zinci oxydati cum aqua destillata quassatus liquorem praebeat, qui filtratus et evaporatus fere nullum residuum relinquit.

Zincum sulfuricum.

Crystalli prismaticae, decolores, aëri sicco expositae lente fatiscentes, in aqua facillime solubiles. Solutio aquosa, reactionis acidae, addito baryo nitrico praecipitatum album, in acidis insolubile demittit; natrium hydrooxydatum praecipitatum album, in excedente reagente solubile efficit et ex hac solutione aqua hydrosulfurata zincum sulfuratum coloris albi deponitur.

Solutio aquosa sit decolor nec, acido sulfurico acidulata, aqua hydrosulfurata turbetur, nec acido tannico admixto, colorem atramentaceum induat, nec abundante ammonia praecipitatum deponat. Superaddito ammonio sulfurato liquorem praebeat, qui a sedimento filtratus evaporatione et ignitione residuum nullum relinquit.

In apparatu Marshii tentatum, ne vestigia arsenici prodat.

Collyrium adstringens luteum.

Apparatus reagentium.

A. Reagentia.

Ad medicaminum identidatem, qualitatem, seu quantitatem explorandam in pharmacopoliis praesto sint infra enumerata reagentia incorruptae integritatis, quae in vitris epistomeo vitreo obturatis collocanda sunt. Reagentia crebro adhibita, ad manus soluta habeantur; eorum relatio ad aptam aquae destillatae, qua solutio efficitur, quantitatem, ascriptis in paranthesi numeris significatur.

Acidum aceticum.

Acidum hydrochloricum.

Acidum nitricum.

Acidum oxalicum.

Acidum picrinicum.

Acidum sulfuricum concentratum.

Acidum sulfuricum dilutum.

Acidum sulfurosum.

Acidum tannicum.

Acidum tartaricum.

Aether.

Aether petrolei.

Ejus pondus specificum ultra 0·675 ne excedat. Charta bibula eo imbuta, peracta exhalatione, nec odorem nec maculam exhibeat.

Ammonia.

Ammonium carbonicum (3 aquae et 1 ammoniae).

Ammonium chloratum (1 : 9).

Ammonium oxalicum (1 : 9).

Ammonium sulfuratum.

Liquor ex ammonia saturatione cum gase hydrosulfurato loto paratus, magnesio sulfurico soluto addito ne turbetur.

Anilinum sulfuricum.

Aqua calcis.

Aqua chlori.

Aqua hydrosulfurata.

Aqua destillata, coquendo ab aere liberata et dein refrigerata, saturetur cum gase hydrosulfurato loto, donec pars exempta ferro sesquichlorato soluto addita statim et fortiter lactescit.

Argentum nitricum (1 : 9).

Baryum carbonicum.

Baryum chloratum.

Baryum nitricum (1 : 9).

Benzinum.

Ejus pondus specificum ne sit infra 0·680 nec ultra 0·700. Ebulliat versus temperaturam 60—80°. Super chartam bibulam defusus avolet remanentia nulla relicta.

Benzolum.

Pondus specificum sit 0·880—0·885. Sub temperatura 0° congelet, versus 80.5° ebulliat.

Bromum.

Calcium sulfuricum (solutio aquosa saturata).

Carboneum sulfuratum.

Charta exploratoria caerulea et rubra.

Charta exploratoria lutea.

Segmenta chartae bibulae albae tingantur immergendo in tincturam, ex parte una radicis Curcumae ruditer tusae cum partibus sex spiritus vini diluti maceratione per aliquot dies et filtratione obtentam. Charta imbuta siccetur loco umbroso et servetur luce remota.

Chloroformium.

Cuprum laminatum.

Ferri lamina.

Ferrum sesquichloratum (1 : 9).

Ferrum sulfuratum.

Ferrum sulfuricum.

Glycerinum.

Hydrargyrum bichloratum (1 : 19).

Kalium aceticum.

Kalium bichromicum.

Kalium chloricum.

Kalium chromicum.

Kalium ferricyanatum.

Kalium ferrocyanatum.

Kalium hydrooxydatum (1 : 9).

Kalium hypermanganicum (1 : 100).

Kalium jodatum.

Kalium nitrosum.

Kalium sulfocyanatum.

Magnesium sulfuricum (1 : 9).

Manganum hyperoxydatum nativum.

Natrium carbonicum (1 : 9).

Natrium hydrooxydatum.

Natrium phosphoricum (1 : 9).

Phenolphtaleïnum (adhibetur in solutione spirituosa 1 : 100).

Plumbum aceticum.

Solutio Indigo carmini (1 : 100).

Solutio laccae musci.

Lacca musci venalis contusa binis vicibus spiritu vini fervido extrahatur, dein pauxillo aquae abluatur. Residuum, quod remanet viginti partibus aquae bullientis infundatur et saepius conquassando per aliquot dies digeratur. Liquore defuso haec operatió repetatur, quousque solutio adhuc colorem atro caeruleum praebet. Liquores commixtos filtra. Solutionem obtentam in duas partes divide, uni admisceatur guttatim acidum sulfuricum dilutum, donec color ceruleus in laete rubrum transierit, tum caute addatur de altera parte tantum, quantum opus est, ut liquor colorem purpureum recipiat.

Hoc liquore tingantur segmenta chartae bibulae albae ad parandam chartam exploratoriam caeruleam.

Ad chartam exploratoriam rubram efficiendam solutioni laccae musci addatur acidi phosphorici tantum ut color ex caerulo in rubrum vergat.

Solutio servetur in lagena vix ultra dimidium replenda et epistomei loco gossypio laxe obturanda.

Spiritus Vini absolutus.

Stannum foliatum.

Zincum granulatum.

Solutiones volumetricae.

Solutio acidimetrica decinormalis.

(1 CC = 0·004 grm. NaOH).

Natrii hydrooxydati purissimi
grammata quatuor et dimidium 4.500

immitte in cucurbitam, quae circumducta linea mensuram unius litrae exacte indicat et adde

Aquae destillatae excoctae et ad temperaturam solitam (15°) refrigeratae *quantitatem sufficientem*

ut mensura litrae unius plane repleatur.

Solutio, si non esset limpida, filtretur.

Ad solutionem volumetricam decinormalem perficiendam solutio tanta quantitate aquae destillatae diluatur, quantum requiritur, ut singula ejus centimetra cubica milligrammata quaterna natrii hydrooxydati contineant.

In hunc finem solutionis alcalinae centimetris cubicis viginti cum guttis aliquot solutionis laccae musci colore caeruleo tinctis instilletur ex tubo mensurato

solutio alcalimetrica recenter parata, donec color caeruleus liquoris in rubrum agitando persistentem vergit.

Quantitas consumta solutionis alcalimetricae docet quantitatem natrii hydrooxydati, quae centimetris cubicis viginti solutionis tentatae inest. Hinc vicenis centimetris cubicis solutionis natrii hydrooxydati tot centimetra cubica aquae destillatae addantur, *quot ultra* centimetra cubica viginti solutionis alcalimetricae ad neutralisationem liquoris consumta fuerant.

Tali modo solutio acidimetrica ita constituta est, ut quodvis ejus volumen pari volumini solutionis alcalimetricae aequivaleat.

Solutio alcalimetrica decinormalis.

(1 CC = 0·0063 grm. $H_2C_2O_4 + 2H_2O$).

Acidi oxalici crystallisati purissimi
grammata sex et decigrammata tria 6.300

sedulo pensata immite in cucurbitam, quae mensuram unius litrae exacte indicat et solve in

Aquae destillatae coctae et tum refrigeratae *s. q.*,

ut una litra solutionis obtineatur.

Solutionem serva in lagena perfecte exsiccata epistomeo bene clauso a luce remoto.

Hujus solutionis centimetrum cubicum unum, quod continet 6·3 milligrammata acidi oxalici crystallisati, quatuor milligrammata natrii hydrooxydati sive decimam partem ponderis aequivalentis cujusvis alius corporis basici perfecte neutra reddit et sic hujus quantitatem per milligrammata expressam calculare permittit.

Solutio non diu integra manet, quare ejus valor saepius solutione kalii hypermanganici volumetrica

explorandus est. Integritate solutionum et alcalimetricae et kalii hypermanganici incorrupta aequalia volumina amborum sub temperatura 100°, adjecta acidi sulfurici apta quantitate, se invicem ita decomponunt, ut liquor nonnisi rosaceo colore leviter tinctus adpareat, aut, si decolor evaserit, gutta una solutionis hypermanganicae addita, hoc colore tingatur.

Solutio Argenti nitrici decinormalis.

(1 CC = 0·017 grm. $AgNO_3$).

Argenti nitrici crystallisati leni calore fusi

grammata octo et dimidium 8.500

solvatur in cucurbita, quae volumen semilitrae circumducta linea exacte indicat in

Aquae destillatae *sufficienti quantitate,*

ut cucurbita usque ad signatam lineam repleatur.

Solutio, si limpida non esset, filtrata in lagena antea bene exsiccata servetur.

Natrii chlorati puri siccati centigrammata quatuordecim (0·140) soluta in aquae destillatae centimetris cubicis decem (10 CC), addita gutta kalii chromici soluti, centimetra cubica viginti quatuor (24 CC) solutionis argenti nitrici volumetrici requirant, donec praecipitatum inde ortum colorem rubrum persistentem praebeat.

Solutio Cupri sulfurici volumetrica.

(1 CC = 0·0023 grm. $CuSO_4 + 5H_2O$).

Cupri sulfurici crystallisati

gramma unum et centigrammata quindecim 1.150

solve in cucurbita, quae circumducta linea mensuram semilitrae exacte indicat in

Aquae destillatae *q. s.*,

ut mensura semilitrae plane repleatur.

Solutio filtrata, cujus quodvis centimetrum cubicum aequivalet milligrammati uni acidi hydrocyanici, in lagena exsiccata optime clausa servetur.

Solutio Kalii hypermanganici volumetrica.

(1 CC = 0·00316 grm. K_2MnO_4).

Kalii hypermanganici crystallisati puri

grammata tria et centigrammata sedecim 3.160

exactissime pensata immitte in cucurbitam, quae unius litrae mensuram circumducta linea exacte indicat et solve in

Aquae destillatae coctae ac refrigeratae *q. s.*,

ut una litra solutionis obtineatur.

Solutionem serva in lagena exsiccata epistomeo vitreo clausa a luce remota.

Stante integritate incorrupta kalii hypermanganici quodvis centimetrum cubicum solutionis continet 0·00316 grammata kalii hypermanganici, cum quibus 0·0063 grammata acidi oxalici crystallisati praesente acido sulfurico sub temperatura 100° plane decomponuntur. Hinc aequalia volumina solutionum tum kalii hypermanganici quum alcalimetricae se invicem ita decomponunt, ut reactione perracta color liquoris permixti aut nullus sit aut addita gutta kalii hypermanganici leviter rosaceus evadat.

B. Utensilia.

Tubuli probatorii minimum viginti quatuor.

Cucurbitae vitreae minores centum usque ducenta centimetra cubica capientes.

Retortae vitreae minores.

Ollae vitreae complures diversae magnitudinis.

Vitra concava et patinae vitreae nonnullae.

Infundibula vitrea ad filtrationem apta.

Tubi vitrei infundibuliformes.

Tubi vitrei ad juncturam apparatuum inservientes.

Bacilli vitrei complures.

Patinae porcellaneae minores.

Crucibula porcellanea cum operculo.

Platinae lamina.

Platinae filum.

Catinum platineum cum operculo excavato.

Forceps.

Triangulum ad ignitionem crucibulorum.

Lampas vitrea.

Ustor Bunsenii vel, deficiente gase, lampas Berzelii.

Utensilia ad analyses volumetricas perficiendas imprimis necessaria et quidem:

Cucurbitae, quae mensuram unius litrae, semilitrae vel quadrantis litrae accurate determinare sinunt.

Burettae, sic dictae, in centimetra cubica ejusque decimas partes divisae, numero minimum duo.

Pipettae diversae, quae volumen centimetrorum cubicorum 5, 10, 20, 25, 50 et 100 exacte indicant.

Apparatus Marshii.

Apparatus pro extractione gasis hydrosulfurati, sulfurosi, chlori, ets.

Thermometra duo, quorum unum temperaturas —15° usque + 120°, alterum temperaturas + 120 usque 300° indicat.

Tubuli capillares et anuli elastici ad determinationem gradus liquescentiae inservientes.

Areometra ad explorandum pondus specificum corporum fluidorum tum aqua leviorum quum graviorum.

Alcoholometrum.

Piknometrum.

Microscopium, quo imagines ter vel quater centies majores augentur.

Trutina analytica qua, si utraque lanx quinquaginta grammatum pondere oneratur, unius milligrammatis superpondium indicatur.

TABULAE.

Tabula I,

exhibens medicamina, quae in scrinio secluso a reliquis separata servanda sunt.

Acidum arsenicosum.
Atropinum sulfuricum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.
Hydrargyrum bijodatum rubrum.
Hydrargyrum oxydatum flavum.
Physostigminum salicylicum.
Solutio arsenicalis Fowleri.
Strychninum nitricum.
Veratrinum.

Tabula II,

exhibens medicamina quae a reliquis separata tenenda sunt.

Acidum aceticum concentratum.
Acidum carbolicum crystallisatum.
Acidum carbolicum liquefactum.
Acidum chromicum.
Acidum hydrochloricum concentratum.
Acidum nitrico-nitrosum.
Acidum nitricum concentratum.
Acidum sulfuricum concentratum.
Ammonia.
Amylium nitrosum.
Apomorphinum hydrochloricum.
Aqua Amygdalarum amararum concentrata.
Aqua Laurocerasi.
Argentum nitricum crystallisatum.
Argentum nitricum fusum.
Cantharides.
Chloralum hydratum.
Chloroformium.
Cocainum hydrochloricum.
Coffeinum.
Euphorbium.
Extractum Aconiti radicis.
Extractum Belladonnae foliorum.
Extractum Cannabis Indicae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Conii herbae.

Extractum Hyoscyami foliorum.
Extractum Opii.
Extractum Scillae.
Extractum Secalis cornuti.
Extractum Strychni.
Folia Belladonnae.
Folia Digitalis.
Folia Hyoscyami.
Folia Stramonii.
Fructus Colocynthidis.
Herba Conii.
Herba Cannabis Indicae.
Herba Lobeliae.
Herba Sabinae.
Hydrargyrum chloratum mite praecipitatione paratum.
Hydrargyrum chloratum mite sublimatione paratum.
Hydrargyrum jodatum flavum.
Hydrargyrum tannicum.
Jodoformium.
Jodum.
Kalium hydrooxydatum.
Kreosotum.
Lactucarium.
Liquor acidus Halleri.
Morphinum hydrochloricum.
Oleum Crotonis.
Oleum Sinapis aethereum.
Opium.
Pilocarpinum hydrochloricum.
Plumbum aceticum.
Pulvis Ipecacuanhae opiatus.
Radix Aconiti.

Radix Belladonnae.
Radix Ipecacuanhae.
Radix Jalapae.
Resina Jalapae.
Santoninum.
Secale cornutum.
Semen Colchici.
Semen Sabadillae.
Semen Strophanthi.
Semen Strychni.
Stibium Kalio-tartaricum.
Tinctura Aconiti radicis.
Tinctura Belladonnae foliorum.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Colchici seminis.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Jodi.
Tinctura Lobeliae.
Tinctura Opii crocata.
Tinctura Opii simplex.
Tinctura Strophanthi.
Tinctura Strychni.
Vinum Colchici seminis.
Vinum Stibii Kalio-tartarici.
Zincum chloratum.

Tabula III,

exhibens doses medicaminum pro adulto, ultra quas medicus pro usu interno ne praescribat nisi addito signo exclamationis :!

	Dosis maxima	
	singula	pro die
	grammata	
Acidum arsenicosum	0·005	0·02
Acidum carbolicum	0·10	0·50
Apomorphinum hydrochloricum . .	0·01	0·05
Aqua Amygdalarum amararum concentrata	1·50	5·00
Aqua Laurocerasi	1·50	5·00
Argentum nitricum	0·03	0·20
Atropinum sulfuricum	0·001	0·003
Cantharides	0·05	0·20
Chloralum hydratum	3·00	6·00
Cocainum hydrochloricum	0·10	0·30
Coffeinum	0·20	0·60
Cuprum sulfuricum qua emeticum .	0·40	—
Extractum Aconiti radicis	0·03	0·12
Extractum Belladonnae foliorum . .	0·05	0·20
Extractum Cannabis Indicae . . .	0·10	0·30
Extractum Colocynthidis	0·05	0·20
Extractum Conii herbae	0·20	0·60
Extractum Hyoscyami foliorum . .	0·10	0·50

	Dosis maxima singula	Dosis maxima pro die
	grammata	
Extractum Opii	0·10	0·40
Extractum Scillae	0·20	1·00
Extractum Secalis cornuti	0·50	1·50
Extractum Strychni	0·05	0·15
Folia Belladonnae	0·20	0·60
Folia Digitalis	0·20	0·60
Folia Hyoscyami	0·30	1·00
Folia Stramonii	0·30	1·00
Fructus Colocynthidis	0·30	1·00
Herba Conii	0·30	2·00
Hydrargyrum bichloratum corrosivum	0·03	0·10
Hydrargyrum bijodatum rubrum	0·03	0·10
Hydrargyrum jodatum flavum	0·05	0·20
Hydrargyrum oxydatum flavum	0·03	0·10
Jodoformium	0·20	1·00
Jodum	0·03	0·10
Kreosotum	0·10	0·50
Lactucarium	0·30	1·00
Morphinum hydrochloricum	0·03	0·12
Oleum Crotonis	0·05	0·10
Opium	0·15	0·50
Physostigminum salicylicum	0·001	0·003
Pilocarpinum hydrochloricum	0·03	0·06
Plumbum aceticum	0·10	0·50
Radix Aconiti	0·10	0·50
Radix Belladonnae	0·07	0·30

	Dosis maxima singula	Dosis maxima pro die
	grammata	
Santoninum	0·10	0·30
Secale cornutum	1·00	5·00
Semen Strychni	0·12	0·50
Solutio arsenicalis Fowleri	0·5	2·00
Stibium Kalio-tartaricum	0·2	0·50
Strychninum nitricum	0·007	0·02
Tinctura Aconiti radicis	0·50	1·50
Tinctura Belladonnae foliorum . .	1·00	4·00
Tinctura Cantharidum	0·50	1·00
Tinctura Colchici	1·50	5·00
Tinctura Digitalis	1·50	5·00
Tinctura Jodi	0·30	1·00
Tinctura Lobeliae	1·00	5·00
Tinctura Opii crocata Tinctura Opii simplex	1·50	5·00
Tinctura Strophanthi	1·00	3·00
Tinctura Strychni	1·00	3·00
Veratrinum	0·005	0·02
Vinum Colchici seminis	1·50	5·00
Zincum sulfuricum qua emeticum .	0·80	—

Tabula IV,

exhibens medicamina, quorum dispensatio, absque medici legitimi praescriptione pharmacopalae interdicta est.

Acidum arsenicosum.
Acidum carbolicum.
Acidum carbolicum liquefactum.
Acidum chromicum.
Aloë.
Amylium nitrosum.
Antifebrinum.
Antipyrinum.
Apomorphinum hydrochloricum.
Aqua Amygdalarum amararum concentrata.
Aqua Laurocerasi.
Argentum nitricum crystallisatum.
Argentum nitricum fusum.
Atropinum sulfuricum.
Cantharides.
Chloralum hydratum.
Chloroformium.
Cocainum hydrochloricum.
Coffeinum.
Cuprum sulfuricum.
Euphorbium.
Extractum Aconiti radicis.
Extractum Aloës.
Extractum Belladonnae foliorum.
Extractum Cannabis Indicae.

Extractum Colocynthidis.
Extractum Conii herbae.
Extractum Filicis maris.
Extractum Granati.
Extractum Hydrastidis.
Extractum Hyoscyami foliorum.
Extractum Opii.
Extractum Scillae.
Extractum Secalis cornuti.
Extractum Strychni.
Folia Belladonnae.
Folia Digitalis.
Folia Hyoscyami.
Folia Stramonii.
Fructus Colocynthidis.
Fructus Papaveris.
Herba Cannabis Indicae.
Herba Conii.
Herba Lobeliae.
Herba Sabinae.
Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.
Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Hydrargyrum bijodatum rubrum.
Hydrargyrum chloratum mite praecipitatione paratum.
Hydrargyrum chloratum mite sublimatione paratum.
Hydrargyrum jodatum flavum.
Hydrargyrum oxydatum flavum.
Hydrargyrum tannicum.
Jodoformium.
Jodum.
Kreosotum.
Lactucarium.

Liquor acidus Halleri.
Morphinum hydrochloricum.
Oleum Crotonis.
Oleum Sinapis aethereum.
Opium.
Physostigminum salicylicum.
Pilocarpinum hydrochloricum.
Plumbum aceticum.
Radix Aconiti.
Radix Belladonnae.
Radix Hydrastidis.
Radix Ipecacuanhae.
Radix Jalapae.
Resina Jalapae.
Santoninum.
Secale cornutum.
Semen Colchici.
Semen Sabadillae.
Semen Strophanthi.
Semen Strychni.
Solutio arsenicalis Fowleri.
Stibium Kalio-tartaricum.
Stibium sulfuratum aurantiacum.
Strychninum nitricum.
Syrupus Ipecacuanhae.
Syrupus Papaveris.
Tinctura Aconiti radicis.
Tinctura Belladonnae foliorum.
Tinctura Cantharidum.
Tinctura Colchici.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Ipecacuanhae.

Tinctura Jodi.
Tinctura Lobeliae.
Tinctura Opii crocata.
Tinctura Opii simplex.
Tinctura Strophanthi.
Tinctura Strychni.
Veratrinum.
Vinum Colchici.
Vinum Stibii Kalio-tartarici.
Zincum chloratum.
Zincum sulfuricum.

Tabula V,

exhibens gravitatem specificam in temperatura 15° C. explorandam praeparatorum liquidorum, quae in pharmacopoeis annorum 1869 et 1889 recepta sunt.

	Pharmacopoeae	
	1889	1869
Acidum aceticum concentratum	1·06	1·063—1·07
„ aceticum dilutum . .	1·029	1·028
„ hydrochloric. conc. pur.	1·12	1·12
„ „ dilut. „	1·062	1·06
„ lacticum	1·21—1·22	—
„ nitricum concentr. pur.	1·30	1·30
„ „ dilut. pur. .	1·129	1·13
„ nitrico-nitrosum . . .	1·45—1·50	—
„ phosphoricum . . .	1·094	1·117
„ sulfuricum conc. pur. .	1·840	1·845
„ „ dilut. pur. .	1·12	1·117
Aether	0·725	0·725
„ aceticus	0·900	0·900
Aluminium aceticum solutum .	1·044—1·046	—
Ammonia	0·96	0·96
Ammonium aceticum solutum	1·03	1·03
Amylium nitrosum	0·902	—
Chloroformium	1·485—1·50	1·49—1·5
Ferrum sesquichloratum solutum	1·28	1·26
Glycerinum	1·25	1·25
Hydrargyrum	13·56	—
Kalium aceticum solutum . .	1·20	1·20
„ carbonicum „ . .	1·33	1·33

	Pharmacopoeae	
	1888	1869
Kreosotum	1·03—1·08	1·037—1·086
Natrium silicicum solutum . .	1·40	1·40
Oleum sinapis aethereum . .	1·01	1·01
Plumbum aceticum basicum solutum	1·23—1·24	1·23—1·24
Spiritus aetheris	0·82	0·82
„ vini concentratus . .	0·830—0·834	0·8336
„ „ dilutus	0·894—0·896	0·892
„ „ Cognac	0·920—0·925	—

APPENDIX.

Tabula Ia,

exhibens rationem inter pondus specificum et ponderis partes centesimas Alcoholis, quae in spiritu vini aqua diluto continentur.

Secundum **Mendelejeff.**

Pondus specificum sub temperatura 15° C. relatum ad aquam ejusdem temperaturae = 1.

Pondus specificum d. $\frac{15°}{15°}$	Partes ponderis centesimae Alcoholis	Pondus specificum d. $\frac{15°}{15°}$	Partes ponderis centesimae Alcoholis
1·00000	0	0·96517	25
0·99812	1	0·96377	26
0·99630	2	0·96233	27
0·99453	3	0·96085	28
0·99284	4	0·95932	29
0·99120	5	0·95775	30
0·98964	6	0·95614	31
0·98813	7	0·95449	32
0·98668	8	0·95279	33
0·98528	9	0·95105	34
0·98394	10	0·94927	35
0·98263	11	0·94745	36
0·98136	12	0·94559	37
0·98012	13	0·94369	38
0·97890	14	0·94176	39
0·97769	15	0·93980	40
0·97649	16	0·93780	41
0·97530	17	0·93578	42
0·97410	18	0·93372	43
0·97289	19	0·93164	44
0·97167	20	0·92954	45
0·97043	21	0·92742	46
0·96916	22	0·92527	47
0·96786	23	0·92311	48
0·96653	24	0·92092	49

Pondus specificum d. $\frac{15^\circ}{15^\circ}$	Partes ponderis centesimae Alcoholis	Pondus specificum d. $\frac{15^\circ}{15^\circ}$	Partes ponderis centesimae Alcoholis
0·91873	50	0·85836	76
0·91651	51	0·85593	77
0·91429	52	0·85350	78
0·91205	53	0·85106	79
0·90980	54	0·84860	80
0·90754	55	0·84614	81
0·90527	56	0·84366	82
0·90299	57	0·84116	83
0·90071	58	0·83865	84
0·89841	59	0·83612	85
0·89611	60	0·83357	86
0·89380	61	0·83099	87
0·89149	62	0·82840	88
0·88917	63	0·82577	89
0·88684	64	0·82312	90
0·88450	65	0·82043	91
0·88216	66	0·81771	92
0·87981	67	0·81495	93
0·87746	68	0·81215	94
0·87509	69	0·80931	95
0·87272	70	0·80642	96
0·87035	71	0·80347	97
0·86797	72	0·80048	98
0·86557	73	0·79743	99
0·86318	74	0·79432	100
0·86077	75		

Nota.

Sub temperatura variat. pondus specificum	12°	13°	14°	15°	16°	17°	18°	19°	20°	21°	22°	23°	24°	25°
Spiritus vini conc.	0·834	0·834	0·833	0·832	0·831	0·830	0·830	0·829	0·828	0·827	0·826	0·826	0·825	0·824
Spiritus vini dilat.	0·896	0·896	0·895	0·894	0·893	0·893	0·892	0·891	0·890	0·889	0·888	0·887	0·887	0·886

Tabula Ib,

exhibens rationem inter pondus specificum et voluminis partes centesimas Alcoholis, quae in spiritu vini aqua diluto continentur.

Secundum **Mendelejeff.**

Pondus specificum sub temperatura 15·56° relatum ad aquam ejusdem temperaturae = 1.

Pondus specificum $d.\frac{15\cdot56^\circ}{15\cdot56^\circ}$	Voluminis partes centesimae Alcoholis	Pondus specificum $d.\frac{15\cdot56^\circ}{15\cdot56^\circ}$	Voluminis partes centesimae Alcoholis
1·00000	0	0·97097	25
1·99847	1	0·96991	26
1·99699	2	0·96883	27
1·99555	3	0·96772	28
1·99415	4	0·96658	29
1·99279	5	0·96541	30
1·99147	6	0·96421	31
1·99019	7	0·96298	32
0·98895	8	0·96172	33
0·98774	9	0·96043	34
0·98657	10	0·95910	35
0·98543	11	0·95773	36
0·98432	12	0·95632	37
0·98324	13	0·95487	38
0·98218	14	0·95338	39
0·98114	15	0·95185	40
0·98011	16	0·95029	41
0·97909	17	0·94868	42
0·97808	18	0·94704	43
0·97708	19	0·94536	44
0·97608	20	0 94364	45
0·97507	21	0·94188	46
0·97406	22	0·94008	47
0·97304	23	0·93824	48
0·97201	24	0·93636	49

Pondus specificum d. $\frac{15 \cdot 56°}{15 \cdot 56°}$	Voluminis partes centesima Alcoholis	Pondus specificum d. $\frac{15 \cdot 56°}{15 \cdot 56°}$	Voluminis partes centesima Alcoholis
0·93445	50	0·87477	76
0·93250	51	0·87211	77
0·93052	52	0·86943	78
0·92850	53	0·86670	79
0·92646	54	0·86395	80
0·92439	55	0·86116	81
0·92229	56	0·85833	82
0·92015	57	0·85547	83
0·91799	58	0·85256	84
0·91580	59	0·84961	85
0·91358	60	0·84660	86
0·91134	61	0·84355	87
0·90907	62	0·84044	88
0·90678	63	0·83726	89
0·90447	64	0·83400	90
0.90214	65	0·83065	91
0·89978	66	0·82721	92
0·89740	67	0·82365	93
0·89499	68	0·81997	94
0·89256	69	0·81616	95
0·89010	70	0·81217	96
0·88762	71	0·80800	97
0·88511	72	0·80359	98
0·88257	73	0·79891	99
0·88000	74	0·79391	100
0·87740	75		

Tabula II,

exhibens rationem inter pondus specificum et quantitatem Acidi acetici, quae in centum partibus acidi aqua diluti continetur.

Secundum **Oudemans.**

Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae $C_2H_4O_2$	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae $C_2H_4O_2$
0·9992	0	1·0350	25
1·0007	1	1·0363	26
1·0022	2	1·0375	27
1·0037	3	1·0388	28
1·0052	4	1·0400	29
1·0067	5	1·0412	30
1·0083	6	1·0424	31
1·0098	7	1·0436	32
1·0113	8	1·0447	33
1·0127	9	1·0459	34
1·0142	10	1·0470	35
1·0157	11	1·0481	36
1·0171	12	1·0492	37
1·0185	13	1·0502	38
1·0200	14	1·0513	39
1·0214	15	1·0523	40
1·0228	16	1·0533	41
1·0242	17	1·0543	42
1·0256	18	1·0552	43
1·0270	19	1·0562	44
1·0284	20	1·0571	45
1·0298	21	1·0580	46
1·0311	22	1·0589	47
1·0324	23	1·0598	48
1·0337	24	1·0607	49

Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae $C_2H_4O_2$	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae $C_2H_4O_2$
1·0615	50	1·0747	76
1·0623	51	1·0748	77
1·0631	52	1·0748	78
1·0638	53	1·0748	79
1·0646	54	1·0748	80
1·0653	55	1·0747	81
1·0660	56	1·0746	82
1·0666	57	1·0744	83
1·0673	58	1·0742	84
1·0679	59	1·0739	85
1·0685	60	1·0736	86
1·0691	61	1·0731	87
1·0697	62	1·0726	88
1·0702	63	1·0720	89
1·0707	64	1·0713	90
1·0712	65	1·0705	91
1·0717	66	1·0696	92
1·0721	67	1·0686	93
1·0725	68	1·0674	94
1·0729	69	1·0660	95
1·0733	70	1·0644	96
1·0737	71	1·0625	97
1·0740	72	1·0604	98
1·0742	73	1·0580	89
1·0744	74	1·0553	100
1·0746	75		

Tabula III,

exhibens rationem inter pondus specificum et quantitatem Acidi hydrochlorici, quae in partibus centum acidi aqua diluti continetur.

Secundum **Kolb.**

Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae gasis hydrochlorici	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae gasis hydrochlorici
1·007	1·5	1·134	26·6
1·014	2·9	1·143	28·4
1·022	4·5	1·152	30·2
1·029	5·8	1·157	31·2
1·036	7·3	1·161	32·0
1·044	8·9	1·166	33·0
1·052	10·4	1·171	33·9
1·060	12·0	1·175	34·7
1·067	13·4	1·180	35·7
1·075	15·0	1·185	36·8
1·083	16·5	1·190	37·9
1·091	18·1	1·195	39·0
1·100	19·9	1·199	39·8
1·108	21·5	1·205	41·2
1·116	23·1	1·210	42·4
1·125	24·8		

Tabula IV,

exhibens rationem inter pondus specificum et quantitatem Acidi nitrici, quae in centum partibus acidi aqua diluti continetur.

Secundum **Kolb.**

Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae HNO_3	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae HNO_3	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae HNO_3
1·530	100·00	1·432	72·39	1·295	46·64
1·530	99·84	1·429	71·24	1·284	45·00
1·530	99·72	1·423	69·96	1·274	43·53
1·529	99·52	1·419	69·20	1·264	42·00
1·523	97 89	1·414	68·00	1·257	41·00
1·520	97·00	1·410	67·00	1·251	40·00
1·516	96·00	1·405	66·00	1·244	39·00
1·514	95·27	1·400	65·07	1·237	37·95
1·509	94·00	1·395	64·00	1·225	36·00
1·506	93·01	1·393	63·59	1·218	35·00
1·503	92·00	1·386	62·00	1·211	33·86
1·499	91·00	1·381	61·21	1·198	32·00
1·495	90·00	1·374	60·00	1·192	31·00
1·494	89·56	1·372	59·59	1·185	30·00
1·488	88·00	1·368	58·88	1·179	29·00
1·486	87·45	1·363	58·00	1·172	28·00
1·482	86·17	1·358	57·00	1·166	27·00
1·478	85·00	1·353	56·10	1·157	25·71
1·474	84·00	1·346	55·00	1·138	23·00
1·470	83·00	1·341	54·00	1·120	20·00
1·467	82·00	1·339	53·81	1·105	17·47
1·463	80·96	1·335	53·00	1·089	15·00
1·460	80·00	1·331	52·33	1·077	13·00
1·456	79·00	1·323	50·99	1·067	11·41
1·451	77·66	1·317	49·97	1·045	7·22
1·445	76·00	1·312	49·00	1·022	4·00
1·442	75·00	1·304	48·00	1·010	2·00
1·438	74 01	1·298	47·18	0·999	0·00
1·435	73·00				

Tabula V,

indicans pondus specificum Acidi phosphorici aqua soluti in relatione ad quantitatem acidi anhydri et quae huic respondet, orthophosphorici, quam centum partes solutionis continent.

Secundum **Watts.**

Pondus specificum 15·5° C.	Partes centesimae acidi		Pondus specificum 15·5° C.	Partes centesimae acidi	
	anhydri	orthophosphorici		anhydri	orthophosphorici
1·508	49·60	68·46	1·247	28·24	38·98
1·492	48·41	66·82	1·236	27·30	37·68
1·476	47·10	65·01	1·226	26·36	36·38
1·464	45·63	62·98	1·211	24·79	34·22
1·453	45·38	62·64	1·197	23·23	32·06
1·442	44·13	60·91	1·185	22·07	30·46
1·434	43·95	60·66	1·173	20·91	28·86
1·426	43·28	59·74	1·162	19·73	27·23
1·418	42·61	58·81	1·153	18·81	25·96
1·401	41·60	57·42	1·144	17·89	24·69
1·392	40·86	56·40	1·136	16·95	23·40
1·384	40·12	55·38	1·124	15·64	21·59
1·376	39·66	54·74	1·113	14·33	19·87
1·369	39·21	54·12	1·109	13·25	18·29
1·356	38·00	52·45	1·095	12·18	16·81
1·347	37·37	51·58	1·081	10·44	14·41
1·339	36·74	50·71	1·073	9·53	13·15
1·328	36·15	49·90	1·066	8·62	11·90
1·315	34·82	48·06	1·056	7·39	10·20
1·302	33·49	46·23	1·047	6·17	8·52
1·293	32·71	45·15	1·031	4·15	5·73
1·285	31·94	44·09	1·022	3·03	4·18
1·276	31·03	42·83	1·014	1·91	2·64
1·268	30·13	41·59	1·006	0·79	1·09
1·257	29·16	40·25			

Tabula VI,

exhibens rationem inter pondus specificum et quantitatem Acidi sulfurici, quae in partibus centum acidi aqua diluti continetur.

Secundum **Kolb.**

Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae H_2SO_4	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae H_2SO_4	Pondus specificum 15° C.	Partes centesima H_2SO_4
1·007	1·9	1·190	25·8	1·453	55·4
1·014	2·8	1·200	27·1	1·468	56·9
1·022	3·8	1·210	28·4	1·483	58·3
1·029	4·8	1·220	29·6	1·498	59·6
1·037	5·8	1·231	30·9	1·514	61·0
1·045	6.8	1·241	32·2	1·530	62·5
1·052	7·8	1·252	33·4	1·540	64·0
1·060	8·8	1·263	34·7	1·563	65·5
1·067	9·8	1·274	36·0	1·580	67·0
1·075	10·8	1·285	37·4	1·597	68·6
1·083	11·9	1·297	38·8	1·615	70·0
1·091	13·0	1·308	40·2	1·634	71·6
1·100	14·1	1·320	41·6	1·652	73·2
1·108	15·2	1·332	43·0	1·671	74·7
1·116	16·2	1·345	44·4	1·691	76·4
1·125	17·3	1·357	45·6	1·711	78·1
1·134	18·5	1·370	46·9	1·732	79·9
1·142	19·6	1·383	48·3	1·753	81·7
1·152	20·8	1·397	49·8	1·774	84·1
1·162	22·1	1·410	51·2	1·796	86·5
1·171	23·3	1·424	52·6	1·819	89·7
1·180	24·5	1·438	54·0	1·842	100·0

Tabula VII,

exhibens rationem inter pondus specificum et quantitatem Ammoniae, quae in centum partibus ammoniae aqua solutae continentur.

Secundum **L. Carius.**

Pondus specificum 14° C.	Partes centesimae NH_3	Pondus specificum 14° C.	Partes centesimae NH_3	Pondus specificum 14° C.	Partes centesimae NH_3
0·8844	36·0	0·8962	30·6	0·9100	25·2
0·8848	35·8	0·8967	30·4	0·9106	25·0
0·8852	35·6	0·8971	30·2	0·9111	24·8
0·8856	35·4	0·8976	30·0	0·9116	24·6
0·8860	35·2	0·8981	29·8	0·9122	24·4
0·8864	35·0	0·8986	29·6	0·9127	24·2
0·8868	34·8	0·8991	29·4	0·9133	24·0
0·8872	34·6	0·8996	29·2	0·9139	23·8
0·8877	34·4	0·9001	29·0	0·9145	23·6
0·8881	34·2	0·9006	28·8	0·9150	23·4
0·8885	34·0	0·9011	28·6	0·9156	23·2
0·8889	33·8	0 9016	28·4	0·9162	23·0
0·8894	33·6	0·9021	28·2	0·9168	22·8
0·8898	33·4	0·9026	28·0	0·9174	22·6
0·8903	33·2	0·9031	27·8	0·9180	22·4
0·8907	33·0	0·9036	27·6	0·9185	22·2
0·8911	32·8	0·9041	27·4	0·9191	22·0
0·8916	32·6	0·9047	27·2	0·9197	21·8
0·8920	32·4	0·9052	27·0	0·9203	21·6
0·8925	32·2	0·9057	26·8	0·9209	21·4
0·8929	32·0	0·9063	26·6	0·9215	21·2
0·8934	31·8	0·9068	26·4	0·9221	21·0
0·8938	31·6	0·9073	26·2	0·9227	20·8
0·8943	31·4	0·9078	26·0	0·9233	20·6
0·8948	31·2	0·9083	25·8	0·9239	20·4
0·8953	31·0	0·9089	25·6	0·9245	20·2
0·8957	30·8	0·9094	25·4	0·9251	20·0

Pondus specificum 14° C.	Partes centesimae NH_3	Pondus specificum 14° C.	Partes centesimae NH_3	Pondus specificum 14° C.	Partes centesimae NH_3
0·9257	19·8	0·9477	13·2	0·9725	6·6
0·9264	19·6	0·9484	13·0	0·9733	6·4
0·9271	19·4	0·9491	12·8	0·9741	6·2
0·9277	19·2	0·9498	12·6	0·9749	6·0
0·9283	19·0	0·9505	12·4	0·9757	5·8
0·9289	18·8	0·9512	12·2	0·9765	5·6
0·9296	18·6	0·9520	12·0	0·9773	5·4
0·9302	18·4	0·9527	11·8	0·9781	5·2
0·9308	18·2	0·9534	11·6	0·9790	5·0
0·9314	18·0	0·9542	11·4	0·9799	4·8
0·9321	17·8	0·9549	11·2	0·9807	4·6
0·9327	17·6	0·9556	11·0	0·9815	4·4
0·9333	17·4	0·9563	10·8	0·9823	4·2
0·9340	17·2	0·9571	10·6	0·9831	4·0
0·9347	17·0	0·9578	10·4	0·9839	3·8
0·9353	16·8	0·9586	10·2	0·9847	3·6
0·9360	16·6	0·9593	10·0	0·9855	3·4
0·9366	16·4	0·9601	9·8	0·9864	3·2
0·9373	16·2	0·9608	9·6	0·9873	3·0
0·9380	16·0	0·9616	9·4	0·9882	2·8
0·9386	15·8	0·9623	9·2	0·9890	2·6
0·9393	15·6	0·9631	9·0	0·9899	2·4
0·9400	15·4	0·9639	8·8	0·9907	2·2
0·9407	15·2	0·9647	8·6	0·9915	2·0
0·9414	15·0	0·9654	8·4	0·9924	1·8
0·9420	14·8	0·9662	8·2	0·9932	1·6
0·9427	14·6	0·9670	8·0	0·9941	1·4
0·9434	14·4	0·9677	7·8	0·9950	1·2
0·9441	14·2	0·9685	7·6	0·9959	1·0
0·9449	14·0	0·9693	7·4	0·9967	0·8
0·9456	13·8	0·9701	7·2	0·9975	0·6
0·9463	13·6	0·9709	7·0	0·9983	0·4
0·9470	13·4	0·9717	6·8	0·9991	0·2

Tabula VIII,

exhibens rationem inter pondus specificum et quantitatem Kalii hydrooxydati, quae in centum partibus solutionis aquosae continentur.

Secundum **Gerlach.**

Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae KOH	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae KOH	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae KOH
1·009	1	1·230	25	1·511	48
1·017	2	1·241	26	1·525	49
1·025	3	1·252	27	1·539	50
1·033	4	1·264	28	1·552	51
1·041	5	1·276	29	1·565	52
1·049	6	1·288	30	1·578	53
1·058	7	1·300	31	1·590	54
1·065	8	1·311	32	1·604	55
1·074	9	1·324	33	1·618	56
1·083	10	1·336	34	1·630	57
1·092	11	1·349	35	1·642	58
1·101	12	1·361	36	1·655	59
1·110	13	1·374	37	1·667	60
1·119	14	1.387	38	1·681	61
1·128	15	1·400	39	1·695	62
1·137	16	1·412	40	1·705	63
1·146	17	1·425	41	1·718	64
1·155	18	1·438	42	1·729	65
1·166	19	1·450	43	1·740	66
1·177	20	1·462	44	1·754	67
1·188	21	1·475	45	1·768	68
1·198	22	1·488	46	1·780	69
1·209	23	1·499	47	1·790	70
1·220	24				

Tabula IX,

exhibens rationem inter pondus specificum et quantitatem Natrii hydrooxydati, quae in centum partibus solutionis aquosae continetur.

Secundum **Gerlach.**

Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae NaOH	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae NaOH	Pondus specificum 15° C.	Partes centesimae NaOH
1·012	1	1·279	25	1·519	48
1·023	2	1·290	26	1·529	49
1·035	3	1·300	27	1·540	50
1·046	4	1·310	28	1·550	51
1·058	5	1·321	29	1·560	52
1·070	6	1·332	30	1·570	53
1·081	7	1·343	31	1·580	54
1·092	8	1·353	32	1·591	55
1·103	9	1·363	33	1 601	56
1·115	10	1·374	34	1·611	57
1·126	11	1·384	35	1·622	58
1·137	12	1·395	36	1·633	59
1·148	13	1·405	37	1·643	60
1·159	14	1·415	38	1·654	61
1·170	15	1·426	39	1·664	62
1·181	16	1·437	40	1·674	63
1·192	17	1·447	41	1·684	64
1·202	18	1·457	42	1·695	65
1·213	19	1·468	43	1·705	66
1·225	20	1·478	44	1·715	67
1·236	21	1·488	45	1·726	68
1·247	22	1·499	46	1·737	69
1·258	23	1·509	47	1·748	70
1·269	24				

Tabula X,

sistens medicaminum chemicorum in aqua solubilium copiam, quam circiter centum partes aquae destillatae sub temperatura ordinaria solutam tenere possunt.

100 partes aquae destillatae solvunt	Partes
Acidi arsenicosi	2
„ benzoici	0·25
„ borici	3·3
„ carbolici crystallisati	5
„ citrici	185
„ pyrogallici	40
„ salicylici	0·17
„ tannici	100
„ tartarici	125
Aluminis	15
Aluminii sulfurici	50
Ammonii bromati	66
„ carbonici	25
„ chlorati	37
Antifebrini	0·8
Antipyrini	100
Apomorphini hydrochlorici	2·5
Argenti nitrici	100
Atropini sulfurici	100
Chinini bisulfurici	9
„ hydrochlorici	3
„ sulfurici	0·13
Chlorali hydrati	100
Cocaini hydrochlorici	100
Coffeini	1·2

100 partes aquae destillatae solvunt	Partes
Cupri sulfurici	35
Ferri lactici	2
„ sulfurici	50
Hydrargyri bichlorati	6
Kalii bromati	66
„ carbonici	100
„ chlorici	6
„ hydrotartarici	0·5
„ hypermanganici	4
„ jodati	140
„ Natrio-tartarici	42
„ nitrici	25
Lithii carbonici	0·66
Magnesii sulfurici	100
Morphini hydrochlorici	5
Natrii boracici	8·5
„ bromati	50
„ carbonici crystallisati	50
„ hydrocarbonici	7
„ jodati	100
„ phosphorici	17
„ salicylici	100
„ sulfurici crystallisati	33
Physostigmini salicylici	0·66
Pilocarpini hydrochlorici	
Plumbi acetici	43
Santonini	0·2
Stibii Kalio-tartarici	6
Strychnini nitrici	1
Thymoli	0.08
Zinci sulfurici	138

Tabula XI,

exhibens symbola et pondera atomica corporum simplicium praecipuorum.

Secundum **L. Meyer** et **Seubert.**

Corpora	Symbola	Pondus atomae
Aluminium	Al	27·04
Argentum	Ag	107·66
Arsenicum	As	74·9
Aurum	Au	196·2
Baryum	Ba	136·86
Bismuthum	Bi	207·5
Borum	Bo	10·9
Bromum	Br	79·76
Cadmium	Cd	111·7
Calcium	Ca	39·91
Carbonium	C	11·97
Chlorum	Cl	35·37
Chromium	Cr	52·45
Cuprum	Cu	63·18
Ferrum	Fe	55·88
Hydrargyrum	Hg	199·8
Hydrogenium	H	1
Jodum	J	126·54
Kalium	K	39·03
Lithium	Li	7·01
Magnesium	Mg	23·94
Manganum	Mn	54·8
Natrium	Na	22·995

Corpora	Symbola	Pondus atomae
Nitrogenium	N	14·01
Oxygenium	O	15·96
Phosphorus	P	30·96
Platinum	Pt	194·3
Plumbum	Pb	206·39
Silicium	Si	28
Stannum	Sn	117·35
Stibium	Sb	119·6
Strontium	Sr	87·3
Sulfur	S	31·98
Uranium	Ur	239·8
Zincum	Zn	64·88

Tabula XII,

docens pondera molecularia corporum compositorum in pharmacopoea receptorum.

	Pondus molecul.
Acidum aceticum $C_2H_4O_2$	59·86
„ arsenicosum As_4O_6	395·36
„ benzoicum $C_7H_6O_2$	121·71
„ boricum BoH_3O_3	61·78
„ carbolicum C_6H_6O	93·78
„ chromicum CrO_3	100·31
„ citricum $C_6H_8O_7 + H_2O$	209·50
„ hydrochloricum HCl	36·37
„ lacticum $C_3H_6O_3$	89·79
„ nitricum HNO_3	62·89
„ phosphoricum H_3PO_4	97·80
„ pyrogallicum $C_6H_6O_3$	125·70
„ salicylicum $C_7H_6O_3$	137·67
„ sulfuricum H_2SO_4	97·82
„ tannicum $C_{14}H_{10}O_9$	321·22
„ tartaricum $C_4H_6O_6$	149·64
Aether $C_4H_{10}O$	73·84
Aether aceticus $C_4H_8O_2$	87·80
Alumen $Al_2K_2S_4O_{16} + 24H_2O$	946·46
Aluminium sulfuricum $Al_2S_3O_{12} + 18H_2O$ . . .	664·82
Ammonia NH_3	17·01
Ammonium aceticum $NH_4C_2H_3O_2$	76·87
„ bromatum NH_4Br	97·77
„ chloratum NH_4Cl	53·38
Amylium nitrosum $C_5H_{11}NO_2$	116·78
Antifebrinum C_8H_9NO	134·73

	Pondus molecul.
Antipyrinum $C_{11}H_{12}N_2O$	187·65
Apomorphinum hydrochloricum $C_{17}H_{17}NO_2,HCl$	302·79
Aqua H_2O	17·96
Argentum nitricum $AgNO_3$	169·55
Atropinum sulfuricum $2(C_{17}H_{23}NO_3)H_2SO_4$ . .	674·58
Calcium carbonicum $CaCO_3$	99·76
„ oxydatum CaO	55·87
„ phosphoricum $CaHPO_4+2H_2O$ . . .	171·63
„ sulfuricum ustum $CaSO_4$	134·71
Camphora $C_{10}H_{16}O$	151·66
Chininum bisulfuricum $C_{20}H_{24}N_2O_2,H_2SO_4+7H_2O$	546·88
„ hydrochloricum $C_{20}H_{24}N_2O_2+HCl+$ $+2H_2O$	395·63
Chininum sulfuricum $(C_{20}H_{24}N_2O_2)_2H_2SO_4+8H_2O$	888·18
Chloralum hydratum $C_2Cl_3H_3O_2$	164·97
Chloroformium $CHCl_3$	119·08
Cocainum hydrochloricum $C_{17}H_{21}NO_4,HCl$ . . .	338·71
Cofféinum $C_8H_{10}N_4O_2+H_2O$	211·68
Cuprum sulfuricum $CuSO_4+5H_2O$	248·80
Ferrum lacticum $FeC_6H_{10}O_6+3H_2O$	287·34
„ sesquichloratum crystallisat. $FeCl_6+$ $+12H_2O$	539·50
Ferrum sulfuricum $FeSO_4+7H_2O$	277·42
Glycerinum $C_3H_8O_3$	91·79
Hydrargyrum bichloratum ammoniatum $HgNH_2Cl$	251·18
Hydrargyrum bichloratum corrosivum $HgCl_2$.	270·54
„ bijodatum rubrum HgJ_2	452·88
„ chloratum mite Hg_2Cl_2	470·34
„ jodatum flavum Hg_2J_2	652·68
„ oxydatum flavum HgO	215·76
Jodoformium CHJ_3	392·59

	Pondus molecul.
Kalium aceticum $KC_2H_3O_2$	97·89
„ bromatum KBr	118·79
„ carbonicum K_2CO_3	137·91
„ chloricum $KClO_3$	122·28
„ hydrooxydatum KHO	55·99
„ hydrotartaricum $KC_4H_5O_6$	187·67
„ hypermanganicum $KMnO_4$	157·67
„ jodatum KJ	165·57
„ Natrio-tartaricum $KNaC_4H_4O_6+4H_2O$.	281·505
„ nitricum KNO_3	100·92
Lithium carbonicum Li_2CO_3	73·87
Magnesium citricum $Mg_3(C_6H_5O_7)_2$	448·90
„ oxydatum MgO	39·90
„ sulfuricum $MgSO_4+7H_2O$	245·48
Mentholum $C_{10}H_{20}O$	
Morphinum hydrochloricum $C_{17}H_{19}NO_3,HCl+$	155·66
$+3H_2O$	374·63
Naphtalinum $C_{10}H_8$	127·70
β Naphtolum $C_{10}H_8O$	143·66
Natrium boracicum $Na_2B_4O_7+10H_2O$	380·91
„ bromatum $NaBr$	102·755
„ carbonicum crystallisat. $Na_2CO_3+10H_2O$	285·44
„ hydrocarbonicum $NaHCO_3$	83·845
„ jodatum NaJ	149·535
„ phosphoricum $Na_2HPO_4+12H_2O$ . .	357·31
„ salicylicum $2(NaC_7H_5O_3)+H_2O$ . . .	337·29
„ sulfuricum $Na_2SO_5+10H_2O$	321·41
Physostigminum salicylicum $C_{15}H_{21}N_3O_2,C_7H_6O_3$	412·17
Pilocarpinum hydrochloricum $C_{11}H_{16}N_2O_2,HCl$.	243·98
Plumbum aceticum $PbC_4H_6O_4+3H_2O$	377·99
„ oxydatum PbO	222·35
Santoninum $C_{15}H_{18}O_3$	245·43

	Pondus molecul.
Stibium Kalio-tartaricum $2(SbKC_4H_4O_7)+H_2O$	662·42
Stibium sulfuratum aurantiacum Sb_2S_5	399·10
„ „ nigrum Sb_2S_3	335·14
Strychninum nitricum $C_{21}H_{22}N_2O_2,HNO_3$ . . .	396·20
Thymolum $C_{10}H_{14}O$	149·66
Zincum chloratum $ZnCl_2$	135·62
„ oxydatum ZnO	80·84
„ sulfuricum $ZnSO_4+7H_2O$	286·42

INDEX GENERALIS

ARTICULORUM EDITIONIS SEPTIMAE.

A.

Pagina

Absinthii herba 137
Acetanilidum 26
Acetum 1
„ **aromaticum** . . 1
„ Lythargyri . . . 207
„ **Scillae** 2
Acidum aceticum concentratum 2
„ „ **dilutum** 3
„ **arsenicosum** . . 4
„ **benzoïcum** . . . 4
„ **boricum** 5
„ **carbolicum** . . . 5
„ „ **liquefactum** 6
„ **chromicum** . . 6
„ **citricum** 7
„ **hydrochloricum concentratum** . 7
„ **hydrochloricum dilutum** 8
„ **lacticum** 9
„ muriaticum concentratum . . . 7
„ muriaticum dilutum 8

Pagina

Acidum nitricum concentratum 9
„ **nitricum dilutum** 10
„ „ fumans 11
„ **nitrico-nitrosum** 11
„ **phosphoricum** . 11
„ **pyrogallicum** . . 12
„ **salicylicum** . . 12
„ **sulfuricum conc.** 13
„ „ **dilutum** 14
„ **tannicum** . . . 14
„ **tartaricum** . . . 15
Aconiti radix 214
„ tubera 214
Acori rhizoma 219
Adeps suillus 40
Aether 16
„ **aceticus** 16
Alga Caragen 51
Allylii sulfocyanidum . . 199
Aloë 16
Althaeae folia 113
„ radix 215
Alumen 17
Alumen ustum 18

Pagina

Aluminium acetic. solut. 18
„ **sulfuricum** . 19
Ammonia 20
„ pura liquida . 20
Ammoniacum 20
Ammonium acetic. solut. 21
„ **bromatum** . 22
„ **carbonicum** 22
„ **chloratum** . 23
Amygdalae amarae . . 23
„ **dulces** . . . 24
Amylium nitrosum . . 24
Amylum Marantae . . 25
„ **Tritici** 26
Angelicae radix 215
Anisi stellati fructus . . 123
„ vulgaris fructus . . 124
Antidotum Arsenici albi 26
Antifebrinum 26
Antimonium crudum . . 258
Antipyrinum 27
Apomorphinum hydrochloricum 28
Aquae destillatae . . . 28
Aqua Amygdalarum amararum concentrata 29
„ **Amygdalarum amararum diluta** . . 30
„ **aromatica spirituosa** 30
„ **Aurantii florum** . 31
„ **Calcis** 31
„ **carbolisata** . . 31
„ **carminativa** . . . 32

Pagina

Aqua Chamomillae . . 32
„ **Chlori** 32
„ **Cinnamomi simplex** 33
„ „ **spirit.** . 34
„ **destillata** 34
„ **Foeniculi** 34
„ **Goulardi** 35
„ **Laurocerasi** . . . 35
„ **Melissae** 35
„ **Menthae piperitae** 36
„ Naphae 31
„ **plumbica** 36
„ **Rosae** 36
„ **Rubi Idaei** . . . 36
„ **Salviae** 36
Araroba depurata . . . 37
Argentum nitricum crystallisatum . 37
„ **nitricum cum Kalio nitrico** 38
„ **nitricum fusum** 38
Arnicae flores 107
„ radix 216
„ rhizoma 216
Arrow-root 25
Arsenicum album . . . 4
Asa foetida 39
Atropinum sulfuricum . 39
Aurantii folia 114
„ cortex fructus . 69
Axungia Porci 40
„ „ **benzoata** 41

B.

Pagina

Balsamum Copaivae . . 41
„ **Peruvianum** 41
„ **Tolutanum** . 42
„ vitae Hoffmanni . . . 180
Bardanae radix 217
Belladonnnae folia . . . 114
„ radix . . . 218

Pagina

Benzoë 43
Bicarbonas Sodae . . . 185
Bismuthum subnitricum 43
Bolus alba 45
Borax 183
Bulbus Scillae 45
Butyrum Cacao 191

C.

Calami aromatici radix . 219
Calcaria caustica 47
„ chlorata 47
Calcium carbonicum nativum 45
„ **carbonicum praecipitatum** . 46
„ **carbonicum purum** 46
„ **hypochlorosum** 47
„ **oxydatum** . . 47
„ **oxysulfuratum** 48
„ **oxysulfuratum solutum** . . . 48
„ **phosphoricum** . 48
„ **sulfuricum ustum** 49
Calomel 150
„ via humida . . 149
Calumbae radix 219
Camphora 50
Cannabis Indicae herba . 138
Cantharides 50
Capilli Veneris herba . . 138
Carbo Ligni depuratus . 51
Cardamomi fructus . . . 125
„ semen . . . 125
Carrageen 51
Carvi fructus 126
Caryophylli 52
Cascara sagrada 72
Cascarillae cortex . . . 65
Cassiae Fistulae fructus . 126
Castoreum 53
„ Anglicum . . 53
„ Canadense . 53
Catechu 53
Caules Dulcamarae . . 54
Centaurii minoris herba . 139
Cera alba 54
„ **flava** 55
Ceratum Cetacei . . . 55
„ **fuscum** . . . 56
Cerussa 208
Cetaceum 56
Chamomillae Romanae flores . . . 108

Pagina

Chamomillae vulgaris flores 108
Chenopodii herba 139
Chinae cortex 66
Chininum bisulfuricum 57
„ **ferro-citricum** 57
„ **hydrochloricum** 58
„ **sulfuricum** . 59
„ „ basicum 59
„ sulfuricum neutrum 57
„ **tannicum** . . 60
Chloralum hydratum . 61
Chlorina liquida 32
Chloroformium 61
Chrysarobinum 37
Cinae flores 109
„ semen Levanticum 109
Cinnamomi cortex . . . 67
Citri cortex fructus . . . 70
Coca folia 115
Cocaïnum hydrochloricum 62
Cofféinum 63
Colchici semen 241
Colla piscium 153
Collodium 64

Pagina

Collodium elasticum . . 64
Collyrium adstringens luteum . . . 64
Colocynthidis fructus . . 127
Colophonium 65
Condurango cortex . . . 68
Conii herba 139
Coriandri fructus 127
Cortex Cascarillae . . 65
„ **Chinae** 66
„ **Cinnamomi** . . 67
„ **Condurango** . . 68
„ **Frangulae** . . . 69
„ **Fructus Aurantii** 69
„ „ **Citri** . . 70
„ **Granati** 70
„ **Quebracho** . . . 71
„ **Quercus** 72
„ **Rhamni Purshiani** 72
„ **Salicis** 73
Crême céleste 284
Cremor tartari 159
Creta alba 45
Crocus 73
Cubebae fructus 127
Cuprum sulfuricum . . 74
Cydoniae semen 242

D.

Decocta 74
Decoctum Sarsaparillae compositum fortius . . . 75
„ **Sarsaparillae comp. mitius** 76
Deutojoduretum hydrargyri . . 148
Digitalis folia 115
Dulcamarae caules . . . 54
„ stipites . . . 54

E.

Pagina

Elaeosacchara 76
Electuarium aromaticum 77
„ **lenitivum** . 77
Elemi 77
Emplastrum adhaesivum 78
„ **Anglicanum** 79
„ **Cantharidum** 80
„ „ **perpetuum** 80
„ **Cerussae** . 80
„ **Conii** . . . 81
„ **Diachylon compositum** 81
„ Diachylon linteo extensum 78
„ **Diachylon simplex** . . 82
„ fuscum . . 83
„ **Hydrargyri** 82
„ Jaegeri . . 80
„ Janini . . . 80
„ Lithargyri compositum 81
„ Lythargyri simplex . . 82
„ **Meliloti** . . 83
„ mercuriale . 82
„ **Minii** . . . 83
„ **oxycroceum** 84
„ **saponatum** 84
„ vesicans . . 80
Emulsiones 85
Emulsio amygdalina . . 85
„ **oleosa** 86
Ergotinum 98

Pagina

Eserinum salicylicum . . 205
Euphorbium 86
Extracta 87
Extractum Aconiti . . 88
„ Acori . . . 90
„ **Aloës** . . . 89
„ **Belladonnae foliorum** . . 89
„ **Calami aromatici** . . . 90
„ **Calumbae** . 90
„ **Cannabis Indicae** . . . 90
„ Cascarae sagradae fluidum 97
„ **Centaurii minoris** . . . 90
„ **Chinae** . . . 91
„ **Colocynthidis** 91
„ **Conii herbae** 91
„ **Cubebae** . . 91
„ Ferri pomati . 95
„ **Filicis maris** 92
„ **Gentianae** . 92
„ **Graminis** . 93
„ **Granati** . . 93
„ haemostaticum 98
„ **Hydrastidis fluidum** . . 93
„ **Hyoscyami foliorum** . . . 94
„ **Liquiritiae** . 94
„ **Malatis Ferri** 95
„ nucis vomicae 99
„ **Opii** 95

Pagina

Extractum Punicae Granati 93
„ Quassiae . . 96
„ Quebracho fluidum . . 96
„ Ratanhiae . 97
„ Rhamni Purshiani fluidum 97
„ Rhei . . . 97
Extractum Scillae . . . 98
„ Secalis cornuti 98
„ Strychni . . 99
„ Taraxaci . . 99
„ Trifolii fibrini 99

F.

Ferrum carbonicum saccharatum . . . 99
„ citricum ammoniatum 100
„ hydrooxydatum dialysatum liq. 101
„ lacticum . . . 102
„ et Natrium pyrophosphoricum 103
„ pulveratum . . 104
„ reductum . . . 104
„ sesquichloratum crystallisatum . 105
„ sesquichloratum solutum . . . 106
„ sulfuricum . . 106
Filicis maris radix . . . 220
„ „ rhizoma . . 220
Flavedo corticis Aurantii . 69
„ „ Citri . . 70
Flores Arnicae 107
„ Chamomillae Romanae 108
„ Chamomillae vulgaris 108
Flores Cinae 109
„ Koso 109
„ Lavandulae . . 110
„ Malvae 111
„ Rhoeados . . . 111
„ Rosae 111
„ Sambuci 112
„ sulfuris 262
„ „ loti . . . 260
„ Tiliae 112
„ Verbasci 113
„ zinci 290
Foeniculi fructus 128
Folia Althaeae 113
„ Aurantii 114
„ Belladonnae . . . 114
„ Coca 115
„ Digitalis 115
„ Hyoscyami . . . 116
„ Malvae 116
„ Melissae 117
„ Menthae crispae . 117
„ „ piperitae 118
„ Rosmarini . . . 119
„ Salviae 119

Pagina

Folia Sennae 120
„ **Sennae sine resina** 120
„ **Stramonii** 121
„ **Taraxaci** 121
„ **Theae** 122
„ **Trifolii fibrini** . . 122
„ **Uvae ursi** 123
Frangulae cortex 69
Fructus Anisi stellati . 123
„ „ **vulgaris** . 124
„ **Cardamomi** . . 125
„ **Carvi** 126
„ **Cassiae Fistulae** 126

Pagina

Fructus Colocynthidis . 127
„ **Coriandri** . . . 127
„ **Cubebae** . . . 127
„ **Foeniculi** . . . 128
„ **Juniperi** . . . 128
„ **Lauri** 129
„ **Papaveris** . . 129
„ **Tamarindi** . . 130
„ **Vanillae** . . . 130
Fungus chirurgorum . . 131
„ **igniarius** . . . 131
„ secalis 241

G.

Galbanum 132
Galeopsidis herba . . . 140
Gallae 132
Gelatina animalis . . . 133
„ **Liquiritiae pellucida** 133
Gentianae radix 221
Glandulae Lupuli . . . 134
Globuli martiales . . . 135
Glycerinum 135
Graminis radix 222
„ rhizoma . . . 222
Granati cortex 70
Guajaci lignum 167
„ resina 236
Guarana 136
Gummi Acaciae 136
„ arabicum . . . 136
Gummi-resina Ammoniacum 20
„ Asa foetida 39
„ Euphorbium 86
„ Galbanum 132
„ Myrrha . . 182
„ Olibanum . 200

H.

Haematoxyli lignum . . 168
Hepar sulfuris kalinum . 162
Herba Absinthii . . . 137
Herba Cannabis Indicae 138
„ **Capilli Veneris** . 138
„ **Centaurii minoris** 139

Pagina

Herba Chenopodii . . . 139
„ **Conii** 139
„ **Galeopsidis** . . 140
„ **Herniariae** . . . 141
„ Jaceae 146
„ **Lobeliae** 142
„ **Meliloti** 142
„ **Millefolii** 143
„ **Origani** 143
„ **Sabinae** 144
„ **Serpylli** 145
„ **Spilanthis** . . . 145
„ **Violae tricoloris** 146
Herniariae herba . . . 141
Hirudines 146
Hydrargyrum 147
„ **bichloratum ammoniatum** . 147
„ **bichloratum corrosivum** . . 148

Pagina

Hydrargyrum bijodatum rubrum . 148
„ **chloratum mite praecipitatione paratum** . 149
„ **chloratum mite sublimatione paratum** . 150
„ **jodatum flavum** . . 151
„ **oxydatum flavum** . . 152
„ **tannicum oxydulatum** . . . 152
Hydrastidis radix 222
„ rhizoma . . . 222
Hydromel infantum . . 153
Hyoscyami folia 116

I.

Ichthyocolla 153
Infusa 154
Infusum laxativum . . . 154
Infusum Sennae cum Manna 154
Ipecacuanhae radix . . . 223
Iridis radix 224
„ rhizoma 224

J.

Jaceae herba 146
Jalapae radix 225
„ resina 236
„ tubera 225
Jodoformium 154
Jodum 155
Juniperi fructus 128
„ lignum 168

K.

Pagina

Kali causticum 159
Kalium aceticum solutum 155
„ **bromatum** . . 156
„ **carbonicum crudum** 157
„ **carbonicum purum** 157
„ **carbonicum solutum** 158
„ **chloricum** . . 158
„ **hydrooxydatum** 159
„ **hydrotartaricum** 159

Pagina

Kalium hypermanganicum 160
„ **jodatum** . . . 161
„ **Natrio-tartaricum** 161
„ **nitricum** . . . 162
„ stibio-tartaricum 256
„ **sulfuratum** . . 162
„ „ **pro balneo** 163
Kamala 163
Koso flores 109
Kreosotum 164

L.

Lac sulfuris 261
Lactucarium 165
Lanolinum 165
Lapis causticus 159
„ infernalis 38
„ „ mitigatus 38
Lauri fructus 129
Lavandulae flores . . . 110
Lichen Islandicus . . . 166
Lignum Campechianum . 168
Lignum Guajaci 167
„ **Haematoxyli** . 168
„ **Juniperi** . . . 168
„ **Quassiae** . . . 169
„ **Santali rubrum** 169
„ Sassafras . . . 231

Limonada purgativa . . 209
Lini semen 242
Linimentum ammoniatum 170
„ **saponato-camphoratum** . 170
„ volatile . . 170
Liquiritiae radix 226
„ radix mundata 226
Liquor acidus Halleri . 171
„ Aluminii acetici . 18
„ **Ammoniae anisatus** 171
„ Ammonii caustici 20
„ „ acetici . 21
„ Burowii 18
„ Hoffmanni . . . 251

Pagina

Liquor Kalii acetici . . . 155
„ „ arsenicosi . 247
„ „ carbonici . . 158
Lithargyrum 209

Pagina

Lithium carbonicum . . 172
Lobeliae herba 142
Lupulinum 134
Lycopodium 172

M.

Macis 173
Magisterium Bismuthi . . 43
Magnesia alba 173
„ usta 175
Magnesium carbonicum 173
„ **citricum** . 174
„ „ **effervescens** 174
„ hydrooxydatum in aqua . 26
„ **oxydatum** . 175
„ **sulfuricum** . 176
Maltum 177
Malvae flores 111
„ folia 116
Manna 177
Massa pilularum Ruffi . 178
Mastiche 178
Mel crudum 178
„ **depuratum** 179
„ **rosatum** 179
Meliloti herba 142
Melissae folia 117
Menthae crispae folia . . 117
„ piperitae folia . . 118
Mentholum 180
Mercurius praecipitatus albus 147
„ praecipitatus flavus 152
„ sublimatus corrosivus . . . 148
Millefolii herba 143
Minium 208
Mixtura gummosa . . . 180
„ oleosa 86
„ **oleoso-balsamica** 180
„ sulfurica acida . 171
Morphinum hydrochloricum 181
Mucilago Cydoniae . . 181
„ **Gummi Acaciae** 181
„ „ arabici . 181
Myristicae semen 243
Myrrha 182

N.

Naphtalinum 182
β **Naphtolum** 183
Natrium bicarbonicum . 185
Natrium boracicum . . 183
„ **bromatum** . . 184
„ **carbonicum** . . 184

Pagina

Natrium hydrocarbonicum 185
„ **jodatum** . . . 186
„ **phosphoricum** 187
„ **salicylicum** . . 187

Pagina

Natrium silicicum . . . 188
„ **sulfuricum** . . 188
Nitrum depuratum . . . 162
Nux moschata 243
„ vomica 246

O.

Oleum Amygdalarum . 189
„ **Anisi** 189
„ Anthos 198
„ **Aurantii corticis** 190
„ „ **florum** 190
„ **Bergamottae** . . 191
„ **Cacao** 191
„ **cadinum** 191
„ **camphoratum** . 192
„ **Carvi** 192
„ **Caryophyllorum** 192
„ Cassiae 193
„ **Cinnamomi** . . . 193
„ **Citri** 193
„ **Crotonis** 193
„ **Foeniculi** . . . 194
„ **Hyoscyami folior. coctum** 194
„ **Jecoris Aselli** . 194
„ **Juniperi** 195
„ **Lauri** 195
„ **Lavandulae** . . . 195
„ **Lini** 196
„ **Macidis** 196
Oleum Menthae piperitae 196
„ **Myristicae expressum** 196
„ nucis moschatae expressum . . . 196
„ **Olivae** 197
„ **Pini Pumilionis** . 197
„ **Ricini** 198
„ **Rosae** 198
„ **Rosmarini** . . . 198
„ **Santali** 199
„ **Sinapis aethereum** 199
„ **Terebinthinae** . 200
„ „ **rectificatum** . . 200
„ **Valerianae** . . . 200
Olibanum 200
Ononidis radix 227
Opium 201
Opodeldoc 170
Origani herba 143
Oxydimethylchinicinum . 27
Oxymel Scillae 202
„ **simplex** 203

P.

Paleae haemostaticae . 203
Papaveris fructus . . . 129
Pasta Althaeae 203
Pasta gummosa 203

Pagina

Pasta Liquiritiae flava . 204
Pastilli e Natrio hydrocarbonico . . . 205
Pennawar Djambi . . . 203
Pepsinum 205
Phenolum 5
Phenyldimethylpyrazolonum 27
Physostigminum salicylicum 205
Pilocarpinum hydrochloricum . . 206
Pilulae laxantes . . . 206
Pix liquida 206
Placentae seminum Lini 207
Plumbum aceticum . . 207
„ „ **basicum solutum** 207
„ **carbonicum** . 208
„ **hyperoxydatum rubrum** . 208
„ **oxydatum** . . 209
Potio Magnesii citrici effervescens . . 209

Pagina

Protojoduretum Hydrargyri . . 151
Pulpa Cassiae Fistulae . 210
„ **Prunorum** . . . 211
„ Tamarindorum cruda 130
„ **Tamarindorum depurata** 211
Pulu 203
Pulvis aërophorus . . . 212
„ „ **Seidlitzensis** 212
„ **dentifricius albus** 212
„ „ **niger** 213
„ Doweri 213
„ **gummosus** . . . 213
„ **Ipecacuanhae opiatus** 213
„ **Liquiritiae compositus** 213
Pyrethri radix 227

Q.

Quassiae lignum 169
Quebracho cortex 71
Quercus cortex 72
„ semen 243

R.

Radix Aconiti 214
„ **Althaeae** 215
„ **Angelicae** . . . 215
Radix Arnicae 216
„ **Bardanae** 217
„ **Belladonnae** . . 218

Pagina

Radix Calami aromatici 219
„ **Calumbae** . . . 219
„ **Filicis maris** . . 220
„ **Gentianae** . . . 221
„ **Graminis** 222
„ **Hydrastidis** . . 222
„ **Ipecacuanhae** . . 223
„ **Iridis** 224
„ **Jalapae** 225
„ **Liquiritiae** . . . 226
„ „ **mundata** 226
„ **Ononidis** 227
„ **Pyrethri** 227
„ **Ratanhiae** . . . 228
„ **Rhei** 229
„ **Salep** 230
„ **Sarsaparillae** . . 231
„ **Sassafras** . . . 231
„ **Senegae** 232
„ **Taraxaci** 232
„ **Valerianae** . . . 233
„ **Zedoariae** . . . 234
„ **Zingiberis** . . . 234
Ratanhiae radix 228

Pagina

Resina Benzoë 43
„ **Dammar** 235
„ Elemi 77
„ **Guajaci** 236
„ **Jalapae** 236
„ Mastix 178
Rhamni Purshiani cortex . 72
Rhei radix 229
Rhizoma Acori 219
„ Arnicae 216
„ Filicis maris . . 220
„ Graminis . . . 222
„ Hydrastidis . . 222
„ Iridis 224
„ Valerianae . . . 233
„ Zedoariae . . . 234
„ Zingiberis . . . 234
Rhoeados flores 111
Roob Juniperi 237
„ **Sambuci** 337
Rosae flores 111
Rosmarini folia 119
Rotulae Menthae piperitae 238

S.

Sabadillae semen 244
Sabinae herba 144
Saccharum 238
„ **Lactis** . . . 239
„ saturni . . . 207
Sal amarus 176
„ Glauberi 188

Sal Seignetti 161
Salep radix 230
„ tubera 230
Salicis cortex 73
Salviae folia 119
Sambuci flores 112
Santali lignum rubrum . . 169

Pagina

Santoninum 239
Sapo kalinus 240
„ **medicinalis** . . . 240
„ **Venetus** 241
Sarsaparilla de Honduras 231
Sarsaparillae radix . . . 231
Sassafras lignum 231
„ radix 231
Secale cornutum . . . 241
Semen Cardamomi . . 125
„ Cinae Levanticum 109
„ **Colchici** 241
„ **Cydoniae** . . . 242
„ **Lini** 242
„ **Myristicae** . . . 243
„ **Quercus** 243
„ „ **tostum** 244
„ **Sabadillae** . . . 244
„ **Sinapis** 244
„ **Strophanthi** . . 245
„ **Strychni** 246
Senegae radix 232
Sennae folia 120
Serpylli herba 145
Serum Lactis 246
Sinapis semen 244
Solutio arsenicalis Fowleri 247
„ Vlemingkx . . . 48
Species 248
„ **Althaeae** . . . 248
„ **amaricantes** . . 248
„ **aromaticae** . . 249
„ „ **pro cataplasmate** . 249

Pagina

Species emolientes . . 249
„ „ **pro cataplasmate** . 249
„ **laxantes St. Germain** 250
„ **Lignorum** . . . 250
„ **pectorales** . . . 250
Spilanthis herba 145
Spiritus 251
„ **Aetheris** . . . 251
„ **Anisi** 252
„ **aromaticus** . . 252
„ **camphoratus** . 252
„ **Carvi** 253
„ **Ferri sesquichlorati aethereus** . 253
„ **Juniperi** . . . 253
„ **Lavandulae** . . 253
„ Melissae compositus 252
„ **Menthae piperitae** 254
„ **Rosmarini** . . 254
„ salis ammoniaci anisatus . . . 171
„ **saponatus** . . 254
„ **Saponis kalini** 254
„ **Sinapis** 254
„ Terebinthinae . 200
„ **Vini concentratus** 255
„ **Vini dilutus** . 255
„ „ **Cognac** . 256
Stibium Kalio-tartaricum 256
„ **sulfuratum aurantiacum** . . 257

Pagina

Stibium sulfuratum nigrum 258
Stipites Dulcamarae . . 54
Stramonii folia 121
Strophanthi semen . . . 245
Strychni semen 246
Strychninum nitricum . 259
Styrax liquidus 259
Succus Liquiritiae . . . 260
Succus Liq. depur. . . 260
Sulfur auratum antimonii 257
Sulfur depuratum . . . 260
„ **praecipitatum** . . 261
„ **sublimatum** . . . 262
Summitates Sabinae . . 144
Syrupi 262
Syrupus Althaeae . . . 263
„ **amygdalinus** . 263
„ **Aurantii corticis** 264

Pagina

Syrupus Capilli Veneris 264
„ **Cinnamomi** . . 265
„ **Citri** 265
„ Diacodii 267
„ emulsivus . . . 263
„ **Ferri jodati** . . 265
„ **Ipecacuanhae** . 266
„ mannatus . . . 269
„ **Menthae** . . . 266
„ **Mororum** . . . 267
„ **Papaveris** . . 267
„ **Rhei** 268
„ **Ribium** 268
„ **Rubi Idaei** . . 268
„ **Senegae** . . . 269
„ **Sennae cum Manna** 269
„ **simplex** . . . 270

T.

Taclum 270
„ Venetum 270
Tamarindi fructus . . . 130
Tanninum 31
Taraxaci folia 121
„ radix 232
Tartarus depuratus . . . 159
„ emeticus . . . 256
„ natronatus . . . 161
„ stibiatus . . . 256
Terebinthina 270
„ communis . 270
Terebinthina laricina . . 271
„ **Veneta** . . 271
Theae folia 122
Thymolum 271
Tiliae flores 112
Tincturae 272
Tinctura Absinthii composita 272
„ **Aconiti radicis** 273
„ Acori 275
„ **amara** 273
„ **Arnicae** . . . 274

Pagina

Tinctura Aurantii corticis 274
„ **Belladonnae folior.** 274
„ **Benzoës** . . . 274
„ **Calami aromatici** 275
„ **Cantharidum** . 275
„ **Cascarillae** . 275
„ **Castorei** . . . 275
„ **Catechu** . . . 275
„ **Chamomillae** . 275
„ **Chinae composita** 276
„ **Cinnamomi** . 276
„ **Colchici semin.** 276
„ **Digitalis** . . 276
„ Ferri pomati . 277
„ **Gallarum** . . 276
„ **Guajaci** . . . 277
„ **Ipecacuanhae** 277
„ **Jodi** 277
„ **Lobeliae** . . . 277

Pagina

Tinctura Malatis ferri . 277
„ **Myrrhae** . . . 278
„ nucis vomicae . 281
„ **Opii crocata** . 278
„ **Opii simplex** . 279
„ **Ratanhiae** . . 279
„ **Rhei aquosa** . 279
„ „ **vinosa Darelli** 280
„ **Spilanthis composita** 280
„ stomachica . . 273
„ **Strophanthi** . 280
„ **Strychni** . . . 281
„ **Valerianae** . . 281
„ **Vanillae** . . . 281
Trifolii fibrini folia . . . 122
Trochisci 281
„ **Ipecacuanhae** 282
„ **Santonini** . . 282
Tubera Aconiti 214
„ Jalapae 225
„ Salep 230

U.

Unguenta 282
Unguentum aromaticum 283
„ **Cerussae** . 283
„ **Diachylon** . 284
„ „ Dr. Hebra . . . 284
„ **emolliens** . 284
„ **Glycerini** . 285
Unguentum Hydrargyri 285
„ **Juniperi** . . 285
„ **Plumbi acetici** 286
„ pomadinum 286
„ **rosatum** . . 286
„ **Sabadillae** . 287
„ **simplex** . . 287

Pagina

Unguentum sulfuratum 287
„ **Zinci oxydati** 288
Unguentum Zinci Wilsonii 288
Uvae ursi folia 123

V.

Valerianae radix 233
„ rhizoma . . . 233
Vanillae fructus 130
Vaselinum 288
Veratrinum 288
Verbasci flores 113
Vinum Chinae 289
„ **Colchici seminis** 289
„ emeticum 289
„ **Stibii Kalio-tartarici** 289
Violae tricoloris herba . . 146

Z.

Zedoariae radix 234
„ rhizoma . . . 234
Zincum chloratum . . 290
„ **oxydatum** . . . 290
Zincum sulfuricum . . 291
Zingiberis radix 234
„ rhizoma . . . 234

INDEX SPECIALIS

SYNONYMUM OBSOLETORUM IN EDITIONE SEXTA ADHUC RECEPTORUM, NUNC OMMISSORUM.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
A.		
Acetas Ammoniae solutus	21	Ammonium aceticum.
„ Lixivae / „ Potassae . . .	155	Kalium aceticum solutum.
„ Plumbi acidulus .	207	Plumbum aceticum.
Acetum antisepticum / „ cardiacum / „ prophylacticum / „ quatuor latronum	1	Acetum aromaticum.
„ crudum / „ e Spiritu Vini . .	1	Acetum.
„ Plumbi / „ Saturni	207	Plumbum aceticum basicum solutum.
„ radicale	2	Acidum aceticum concentratum.
„ scilliticum . . .	2	Acetum Scillae.
Acidum Citri	7	Acidum citricum.
„ hydrochloratum concentratum . .	7	„ hydrochloricum concentratum.
„ hydro-chloratum dilutum	8	„ dilutum.
„ orthohydroxybenzoicum	12	„ salicylicum.
„ phenylicum . . .	5	„ carbolicum.
„ salis fumans . .	7	„ hydrochloricum concentratum.
„ spiricum	12	„ salicylicum.
„ Tartari	15	„ tartaricum.
Aether sulfuricus / „ vitrioli . . .	16	Aether.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Aether vegetabilis . . .	16	Aether aceticus.
Agaricus Chirurgorum „ quercinus praeparatus	131	Fungus igniarius.
Alkali minerale	184	Natrium carbonicum.
„ vegetabile mite depuratum	157	Kalium carbonicum purum.
„ volatile siccum . .	22	Ammonium carbonicum.
Allylii Rhodanidum . . .	199	Oleum Sinapis aethereum.
Aloë lucida „ socotrina	16	Aloë.
Alumen calcinatum „ spongiosum .	18	Alumen ustum.
Ammonia aqua soluta . .	20	Ammonia.
Ammoniacum aceticum solutum . . .	21	Ammonium aceticum solutum.
„ carbonicum	22	Ammonium carbonicum.
„ causticum solutum . .	20	Ammonia.
„ hydro-chloratum Ammonium muriaticum	23	Ammonium chloratum.
Antimonium sulfuratum .	257	Stibium sulfuratum aurantiacum.
Aqua calcariae	31	Aqua Calcis.
„ fortis	10	Acidum nitricum dilutum.
„ laxativa viennensis .	154	Infusum Sennae cum Manna.
„ oxymuriatica . . .	32	Aqua Chlori.
„ saturnina	36	„ plumbica.
„ vegeto-mineralis Goulardi	35	„ Goulardi.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriaca recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis.
Aquila alba	150	Hydrargyrum chloratum mite.
Asa dulcis	43	Benzoë.
Atropinae Sulfas	39	Atropinum sulfuricum.
B.		
Balsamum embryonis . .	30	Aqua aromatica spirituosa.
„ Nucistae . . .	196	Oleum Myristicae expressum.
„ Opodeldoc . .	170	Linimentum saponato-camphoratum.
Bicarbonas Natri „ natricus „ Sodae . .	185	Natrium hydrocarbonicum.
Bichloretum Hydrargyri .	148	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Bijodetum „ .	148	Hydrargyrum bijodatum rubrum.
Bismuthum album „ hydrico-nitricum	43	Bismuthum subnitricum.
Bisulfas Chinii	57	Chininum bisulfuricum.
Boras Sodae Borax depurata „ usta „ Veneta . . .	183	Natrium boracicum.
Bromas Potassae Bromuretum potassicum	156	Kalium bromatum.
C.		
Caffeinum	63	Coffëinum.
Calcaria carbonica . . .	46	Calcium carbonicum purum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Calcaria hypochlorosa „ oxymuriatica .	47	Calcium hypochlorosum.
„ phosphorica . .	48	„ phosphoricum.
„ soluta	31	Aqua Calcis.
Calx viva	47	Calcium oxydatum.
Carbo vegetabilis	51	Carbo Ligni.
Carbonas Ammoniae . .	22	Ammonium carbonicum.
„ Calcis praecipitatus	46	Calcium carbonicum purum.
„ Ferri saccharatus	99	Ferrum carbonicum saccharatum.
„ Lixivae „ Potassae . .	157	Kalium carbonicum purum.
„ Sodae	184	Natrium carbonicum.
„ „ acidulus .	185	„ hydrocarbonicum.
Chinium hydro-chloricum	58	Chininum hydrochloricum.
„ sulfuricum . . .	59	„ sulfuricum.
Chininum muriaticum . .	58	„ hydrochloricum,
Chloras kalicus „ Lixivae . . . „ Potassae	158	Kalium chloricum.
Chloretum Ammonii . .	23	Ammonium chloratum.
„ ferricum . . .	105	Ferrum sesquichloratum.
„ Hydrargyri „ hydrargyrosum	150	Hydrargyrum chloratum mite.
„ Zinci	290	Zincum chloratum.
Chlorhydras Ammoniae .	23	Ammonium chloratum.
„ morphicus .	181	Morphinum hydrochloricum.
Chlorum solutum	32	Aqua Chlori.
Colombo Columbo	219	Radix Calumbae.
Crystalli Tartari	159	Kalium hydrotartaricum.

Synonyma in editione VI. Pharmaeopoeae Austriaeae reeepta	Pagina	Respondent artieulis in editione VII. suseeptis
D.		
DeutochloridumHydrargyri / Draco volans	148	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
„ mitigatus	150	Hydrargyrum chloratum mite.
E.		
Electuarium aperiens . .	77	Electuarium lenitivum.
„ stomachicum	77	„ aromaticum.
Elixirium acidum Halleri .	171	Liquor acidus Halleri.
Emplastrum album . . .	80	Emplastrum Cerussae.
„ Cicutae . . .	81	„ Conii.
„ diachylon gummiresinosum	81	„ Diachylon compositum.
„ Euphorbii . .	80	„ Cantharidum perpetuum.
„ glutinosum .	79	„ Anglicanum.
„ noricum . .	83	„ Minii adustum.
„ Plumbi compositum . .	81	„ Diachylon compositum.
„ Plumbisimplex	82	„ Diachylon simplex.
„ saponato-camphoratum	84	„ saponatum.
„ Spermatis Ceti	55	Ceratum Cetacei.
„ vesicatorium ordinarium .	80	Emplastrum Cantharidum.
„ vesicatorium perpetuum .	80	„ „ perpetuum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Emulsio communis . . .	85	Emulsio amygdalina.
„ olei Amygdalarum	86	„ oleosa.
Ergotina	98	Extractum Secalis cornuti.
Extractum Chinae fuscae .	91	„ Chinae.
„ Martis cum succo pomorum . .	95	„ Malatis Ferri.
„ Saturni . . .	207	Plumbum aceticum basicum solutum.
F.		
Flores Benzoes	4	Acidum benzoicum.
„ Salis ammoniaci simplicis	23	Ammonium chloratum.
Ferrum muriaticum oxydatum	105	Ferrum sesquichloratum.
„ oxydatum dialysatum solutum	101	„ hydrooxydatum dialysatum liquidum.
G.		
Gummi Ammoniacum . .	20	Ammoniacum.
„ Guajaci Guajacum nativum } . .	236	Resina Guajaci.
H.		
Hepar Sulfuris vulgare . .	163	Kalium sulfuratum pro balneo.
Herba Liberiana	140	Herba Galeopsidis.
Hydrargyri Chloridum corrosivum . . .	148	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Hydrargyri Jodidum viride	151	Hydrargyrum jodatum flavum.
„ subchloridum	149	Hydrargyrum chloratum mite.
Hydrargyrum amidato-bichloratum „ ammoniatum	147	Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.
„ chloratum mite laevigatum	150	Hydrargyrum chloratum mite.
„ jodatum rubrum	148	Hydrargyrum bijodatum rubrum.
„ muriaticum corrosivum .	148	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
„ muriaticum mite . . .	149	Hydrargyrum chloratum mite.
„ oxydatum .	152	Hydrargyrum oxydatum flavum.
„ perjodatum .	148	Hydrargyrum bijodatum rubrum.
„ subjodatum	151	Hydrargyrum jodatum flavum.
Hydras kalicus fusus . .	159	Kalium hydrooxydatum.
„ magnesicus . . .	175	Magnesium oxydatum (qua antidotum arsenici albi).
Hydrochloras ammoniacus „ Ammoniae	23	Ammonium chloratum.
Hydrojodas Lixivae . . .	161	Kalium jodatum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
I.		
Infusum Rhei cum Natrio carbonico . . .	279	Tinctura Rhei aquosa.
„ Sennae compositum	154	Infusum Sennae cum Manna.
J.		
Joduretum hydrargyrosum	151	Hydrargyrum jodatum flavum.
Joduretum Potassae . . .	161	Kalium jodatum.
K.		
Kali aceticum solutum . .	155	„ aceticum solutum.
„ carbonicum purum .	157	„ carbonicum purum.
„ „ solutum .	158	„ „ „ solutum.
„ bitartaricum	159	„ hydrotartaricum.
„ chloricum	158	„ chloricum.
„ hydricum fusum . .	159	„ hydrooxydatum.
„ hydrojodicum . } „ hydrojodinicum } . .	161	„ jodatum.
„ muriaticum oxygenatum	158	„ chloricum.
„ natrio-tartaricum . .	161	„ Natrio-tartaricum.
„ nitricum depuratum .	162	„ nitricum.
„ oxymuriaticum . . .	158	„ chloricum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Kali tartaricum acidum depuratum	159	Kalium hydrotartaricum.
Kousso, Kosso.	109	Flores Koso.
L.		
Lactas Ferri „ ferrosus	102	Ferrum lacticum.
Lapis causticus Chirurgorum	159	Kalium hydrooxydatum.
Laudanum	201	Opium.
„ liquidum Sydenhami	278	Tinctura Opii crocata.
Limatura Martis alcoholisata	104	Ferrum pulveratum.
Liquor anodynus martiatus	253	Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.
„ Calcis	31	Aqua Calcis.
„ Chlori	32	„ Chlori.
„ Ferri muriatici „ „ sesquichlorati „ „ perchlorici .	106	Ferrum sesquichloratum solutum.
„ Kali acetici . . .	155	Kalium aceticum solutum.
„ Plumbi subacetici .	207	Plumbum aceticum basicum solutum.
„ Salis Tartari . . .	158	Kalium carbonicum solutum.
„ Terrae foliatae Tartari	155	„ aceticum solutum.
Lixiva fusa	159	„ hydrooxydatum.
M.		
Magisterium Jalapae . . .	236	Resina Jalapae.
„ Sulfuris . . .	261	Sulfur praecipitatum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Magnesia calcinata „ hydrica „ pura „ usta (in aqua)	175	Magnesium oxydatum.
„ carbonica „ hydrico-carbonica „ muriae	173	„ carbonicum.
„ sulfurica . . .	176	„ sulfuricum.
Magnesiae Carbonas . . .	173	„ carbonicum.
Maltum Hordei	177	Maltum.
Manna metallorum . . .	150	Hydrargyrum chloratum mite.
Meconium	201	Opium.
Mel Rosarum	179	Mel rosatum.
Mellago Graminis	93	Extractum Graminis.
Mercurius dulcis	149	Hydrargyrum chloratum mite.
„ jodatus flavus .	151	Hydrargyrum jodatum flavum.
„ „ ruber .	148	Hydrargyrum bijodatum rubrum.
Morphiae Murias Morphium hydrochloricum „ muriaticum	181	Morphinum hydrochloricum.
Murias Ammoniae	23	Ammonium chloratum.
„ Chinini	58	Chininum hydrochloricum.
„ Hydrargyri corrosivus	148	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Murias Hydrargyri mitis .	149	Hydrargyrum chloratum mite.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Murias Zinci	290	Zincum chloratum.
Musca hispanica	50	Cantharides.
Muscus Carragheen . . .	51	Carrageen.
N.		
Naphta Aceti / „ vegetabilis . .	16	Aether aceticus.
„ Vitrioli	16	Aether.
Natrium pyrophosphoricum ferratum	103	Ferrum et Natrium pyrophosphoricum.
Natro-Kali tartaricum . .	161	Kalium Natrio-tartaricum.
Natrum bicarbonicum . .	185	Natrium hydrocarbonicum.
„ boracicum / „ boricum . . .	183	„ boracicum.
„ carbonicum . . .	184	„ carbonicum.
„ phosphoricum . .	187	„ phosphoricum.
„ sulfuricum . . .	188	„ sulfuricum.
Nihilum album	290	Zincum oxydatum.
Nitras Argenti	37	Argentum nitricum crystallisatum.
„ „ fusus . . .	38	Argentum nitricum fusum.
„ kalicus depuratus / „ Lixivae / „ Potassae	162	Kalium nitricum.
„ strychnicus	259	Strychninum nitricum.
O.		
Oleum Cacao unguinosum	191	Oleum Cacao.
„ Castoris	198	„ Ricini.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Oleum de Cedro	193	Oleum Citri.
„ Juniperi empyreumaticum	191	„ cadinum.
„ Martis	106	Ferrum sesquichloratum solutum.
„ Neroli	190	Oleum Aurantii florum.
„ Palmae Christi . .	198	„ Ricini.
„ Tartari per deliquium	158	Kalium carbonicum solutum.
„ Vitrioli depuratum	13	Acidum sulfuricum conc.
Oxydum Arsenici album .	4	„ arsenicosum.
„ Hydrargyri flavum	152	Hydrargyrum oxydatum flavum.
„ magnesicum . .	175	Magnesium oxydatum.
„ Stibii hydro-sulfuratum aurantiacum	257	Stibium sulfuratum aurantiacum.
„ Zinci	290	Zincum oxydatum.
P.		
Panacea mercurialis . . .	150	Hydrargyrum chloratum mite.
Pastilli Bilinenses / „ de Vichy . . .	205	Pastilli e Natrio hydrocarbonico.
Perchloridum Hydrargyri .	148	Hydrargyrum bichloratum corrosivum.
Permanganas Potassae .	160	Kalium hypermanganicum.
Phosphas Calcis	48	Calcium phosphoricum.
„ Sodae	187	Natrium „
Plumbum aceticum basicum solutum dilutum . .	36	Aqua plumbica.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Plumbum hydrico-aceticum solutum	207	Plumbum aceticum basicum solutum.
Pompholix	290	Zincum oxydatum.
Potassa caustica } Potassae Hydras } . . .	159	Kalium hydrooxydatum.
„ Tartras acidulus	159	„ hydrotartaricum.
Potassii Bromidum . . .	156	„ bromatum.
„ Jodidum	161	„ jodatum.
Potio citrica purgans . .	209	Potio Magnesii citrici effervescens.
„ laxans viennensis .	154	Infusum Sennae cum Manna.
Protochloridum Hydrargyri	149	Hydrargyrum chloratum mite.
Protojoduretum „	151	Hydrargyrum jodatum flavum.
Pyrophosphas Ferri et Sodae	103	Ferrum et Natrium pyrophosphoricum.
Q.		
Quiniae Murias	58	Chininum hydrochloricum.
„ Sulfas	59	„ sulfuricum.
R.		
Radix Rhabarbari . . .	229	Radix Rhei.
Resina empyreumatica liquida	206	Pix liquida.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
S.		
Sal anglicus } „ Epsomensis } . . . . „ Sedlitzensis }	176	Magnesium sulfuricum.
„ essentiale Tartari . .	15	Acidum tartaricum.
„ mirabilis Glauberi . .	188	Natrium sulfuricum.
„ perlatus	187	„ phosphoricum.
„ Sodae	184	„ carbonicum.
„ Tartari	157	Kalium carbonicum purum.
Santonicum	109	Flores Cinae
Sapo molis } „ viridis }	240	Sapo kalinus.
„ durus } „ medicatus } . . .	240	„ medicinalis.
„ oleaceus	241	„ Venetus.
Sparadrap	78	Emplastrum adhaesivum.
Species resolventes . . .	249	Species aromaticae.
Sperma Ceti	56	Cetaceum.
Spiritus Aetheris sulfurici .	251	Spiritus Aetheris.
„ „ ferratus .	253	„ Ferri sesquichlorati aethereus.
„ Carmelitarum . .	252	„ aromaticus.
„ Salis acidus . . .	8	Acidum hydrochloricum dilutum.
„ „ ammoniaci causticus . .	20	Ammonia.
„ „ fumans . .	7	Acidum hydrochloricum concentratum.
„ Vitrioli	14	„ sulfuricum dilutum.
Strychnium nitricum . .	259	Strychninum nitricum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Subacetas plumbicus . .	207	Plumbum aceticum basicum solutum.
Subchloras calcicus . . .	47	Calcium hypochlorosum.
Subnitras bismuthicus . .	43	Bismuthum subnitricum.
Sulfas Aluminae et Lixivae anhyder	18	Alumen ustum.
„ Aluminae et Lixivae cum aqua	17	Alumen.
„ Cupri crystallisatus	74	Cuprum „
„ ferrosus	106	Ferrum „
„ Magnesiae	176	Magnesium „
„ quinicus	59	Chininum „
„ Sodae	188	Natrium „
„ Zinci	291	Zincum „
Sulfur stibiatum aurantiacum	257	Stibium sulfuratum aurantiacum.
Sulfuretum Lixivae / „ Potassae . .	163	Kalium sulfuratum.
Syrupus Acetositatis citri .	265	Syrupus Citri.
T.		
Tartras Lixivae acidulus .	159	Kalium hydrotartaricum.
„ „ et Sodae .	161	„ Natrio-tartaricum.
„ „ „ Antimonii / „ „ „ stibiatus	286	Stibium Kalio-tartaricum.
„ Potassae acidulus	159	Kalium hydrotartaricum.
Thea Blankenheimensis .	140	Herba Galeopsidis.
Thēinum	63	Coffeinum.
Thus	200	Olibanum.

Synonyma in editione VI. Pharmacopoeae Austriacae recepta	Pagina	Respondent articulis in editione VII. susceptis
Tinctura anodyna simplex	279	Tinctura Opii simplex.
„ nervino-tonica Bestuscheffii . .	253	Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.
„ Paraguay-Roux .	280	Tinctura Spilanthis composita.
U.		
Unguentum album . . .	283	Unguentum Cerussae.
„ ad phthiriasim „ contra pedicul.	287	„ Sabadillae.
„ ad scabiem .	287	„ sulfuratum.
„ Hydrargyri cinereum „ mercuriale „ neapolitanum	285	„ Hydrargyri.
„ Lithargyri „ saturninum .	286	„ Plumbi acetici.
„ nervinum . .	283	„ aromaticum.
V.		
Veratrium	288	Veratrinum.
Vinum Antimonii „ stibiato-tartaricum	289	Vinum Stibii Kalio-tartarici.
Vitriolum album „ Zinci . . .	290	Zincum sulfuricum.
„ caeruleum . .	74	Cuprum „
„ viride	106	Ferrum „
Z.		
Zincum hydrochloricum „ muriaticum	290	Zincum chloratum.